VETERA
HUMILIATORUM
MONUMENTA

ANNOTATIONIBUS,
AC DISSERTATIONIBUS PRODROMIS ILLUSTRATA,

Quibus multa Sacræ, Civilis, ac Literariæ Medii Ævi
Historiæ capita explicantur

AUCTORE

HIERONYMO TIRABOSCHIO SOC. JESU

IN BRAIDENSI UNIVERSITATE RHETORICÆ PROFESSORE.

VOL. III.





MEDIOLANI. MDCCLXVIII.
EXCUDEBAT JOSEPH GALEATIUS REGIUS TYPOGRAPHUS.
Superiorum permissu, ac Privilegio.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

ERRATA.				CORRIGE.
pag. 40.	not.	2.	hoc noſtro	huic noſtro
pag. 47.	not.	3.	*Eccleſiæ Mediolanenſis.*	*Eccleſiæ Mediolanenſis* dici
pag. 88.	lin. ult.		S. Baylæ	S. Babylæ
pag. 134.	not.	5.	mertium.	mercium
pag. 193.	lin.	19.	quem	quum
pag. 200.	lin.	5.	Virentia	Vicentia
pag. 212.	lin.	2.	Præpoſitum	Præpoſitus
pag. 252.	not.	1.	natus	nactus

Sententia de jurejurando, quod Guillelmus Faba Generalis Magister extorserat.

(Hoc & sequens Monumentum casu suo loco omissum hic inserimus).

Circa an. 1339. Ex Monum. ap. Cl. Mannium.

CAsus, super quo queritur consilium, talis est. In Nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, die quarta decima Mensis Novembris inditione quinta (1). Noverint universi presentes litteras inspecturi nos Fratrem Guilielmum Dei gratia Ordinis Humiliatorum Generalem Magistrum (2), pro bono statu, pacifico, & tranquillo honorabilis nostre domus omnium Sanctorum de Florentia, requisitum a Fratribus infrascriptis, infrascripta acceptasse & confirmasse, & nostram auctoritatem decretumque interposuisse ad perpetuam rei memoriam; & volumus & decrevimus infrascripta sub formis & conditionibus appositis debere inviolabiliter observari... In dicta domo fungentes personaliter visitationis officio cum Fratre Jacobo Preposito de Galghari de Pergamo (3) ordinis prelibati, & de ipsius consilio, Prepositorumque Fratris Domi-

(1) Indictio IV. non V. an. MCCCXXXVI. congruit; sed frequenter in Italia Constantinopolitanam Indictionem, cujus initium a Kal. Septemb. ducitur, usurpatam fuisse, monet Cangius (*Glossar. Lat. T. III. pag. 1345. edit. Ven.*). Itaque die XIV. Nov. hujus anni Indictio V. jam numerabatur.

(2) Guillelmus Faba, seu de Villa, de quo fuse diximus Vol. I. pag. 116. &c. Porro hoc Guilielmi decretum, quod hic proferimus simul cum consultatione super eodem habita, non parum momenti attulisse arbitror ad turbas illas concitandas, quas ibidem enarravimus. Consultationem vero hoc monumento contentam, circa an. MCCCXXXIX. habitam credimus; anno enim superiore exeunte Guillelmum dignitate exutum vidimus; atque in hoc monumento Jacobus ejus successor Generalis Magister esse dicitur.

(3) Ille idem qui post Guillelmum Humiliatis præfuit.

niei domus Sancti Thome de Senis, Fratris Francifci domus Sancti Torpetis de Pifis, & Fratris Petri domus Sancte Marie Magdalene de Piftorio noftri ordinis prelibati, & in horum omnium teftimonio congregato capitulo dictorum Fratrum dicte domus omnium Sanctorum ad fonum campane more folito, habitis prius per plura tempora retroacta quampluribus tractatibus fuper infrafcriptis, & pleniffima deliberatione, omnium infrafcriptorum, & fubfcriptorum, prefentes & omnia in ipfis contenta, ut obtineant pleniffimam roboris firmitatem, figillo noftro pendenti duximus muniendas.

Ego Frater ... Profeffus domus omnium Sanctorum de Florentia Ordinis Humiliatorum in prefentia, & de voluntate, & confenfu venerabilis in Chrifto Patris & Domini, Domini Fratris Guilielmi Dei gratia Ordinis Humiliatorum Generalis Magiftri, juro ad Sancta Dei Evangelia, quod fi deinceps aliquando & quotiens electus & confirmatus fuero Prepofitus hujus conventus, infra biennium a receptione dicti officii computandum, in manibus Domini Magiftri Generalis noftri, vel alterius, cui Dominus Magifter hoc commiferit, feu alicujus Sacerdotis dicti conventus Profeffi, hujufmodi prepofiture officio verbo & facto effectualiter atque totaliter & libere refignabo, & eedam omnino, & de adminiftratione hujus officii quovis quefito colore me nullatenus intromittam, nec (*videtur legendum* nifi) iterum electus fuero & canonice confirmatus, & fub conditionibus infrafcriptis. Item eodem modo juro, quod nullum recipiam in Fratrem profeffum, clericum, vel laicum hujus domus, nifi prius & ante profeffionem pure & libere cum effectu preftiterit fimilia juramenta fimiliter fub conditionibus infrafcriptis. In primis, nifi faltem quatuor partes conventus, hoc eft de quinque Fratribus, qui habent vocem in capitulo, quatuor cum confenfu & concordia dixerint in capitulo, quod videatur eis pro meliori ftatu & commoditate conventus, quod non refignem, & tunc tenere poffim

possim predictum officium usque ad voluntatem & beneplacitum quatuor partium vocem in capitulo tunc habentium, & cum eis placuerit post dictum biennium ex debito prestiti juramenti tenear resignare. Item predicta juramenta intelligantur me obligare usque quo ad minus quatuor partes Fratrum vocem in capitulo habentium, & alii qui modo simili juraverunt, & jurabunt imposterum, predicta juramenta docuerint remittenda & ulterius non servanda.

Demum Frater Bene tunc Prepositus supradicte domus omnium Sanctorum supradicto modo juravit ante tertiam, & propria manu sic se subscripsit: Ego Frater Bene Lapi omnia supradicta eodem modo juravi, & propria manu me subscripsi. Et postea eodem die post completorium Prepositus.... qui inferius dicetur, addidit dicte subscriptioni etiam propria manu hæc verba: & qui nunc sum Prepositus inter (l. intra) biennium resignabo preposititure dicte domus modo predicto. Non tamen de novo... (*subaudi* juravit) vel aliud aliquid promisit.

Omnes autem Fratres predicti conventus modo simili juraverunt, & propria manu se singuli subscripserunt in tali forma: Ego Frater... omnia supradicta eodem modo juravi, & propria manu me subscripsi. Causa autem, quare Frater Bene Prepositus supradictus fecit illam additionem priori subscriptioni fuit ista. Nam eodem die, qua tam ipse, quam omnes alii Fratres juraverant, fuit suggestum predicto Domino Fratri Guilielmo tunc Generali reputato Magistro, quod per hujusmodi juramentum predictus Frater Bene Prepositus non erat astrictus ad resignandum officium sue prepositure, quia dictum juramentum ipsum non tangebat, nisi resignaret, & iterum religeretur & confirmaretur. Et hoc propter formam juramenti superius positam, que dicit: *quod si deinceps aliquando, & quotiens electus & confirmatus fuero &c.* Unde predictus Frater Guilielmus, tunc Generalis Magister reputatus, de sero post Completorium fecit congregari

Fratres dicti conventus in Infermería dicti Monasterii, & fecit sibi apportari cartam, in qua scriptum erat supradictum juramentum, & in qua propria manu omnes Fratres se subscripserant, ut supra dicitur. Deinde fecit vocari supradictum Prepositum, & dixit sibi, quod scriberet. Prepositus quesivit quod vellet, quod scriberet. Respondit Magister: hoc: *& qui nunc sum Prepositus inter biennium resignabo Prepositure dicte domus modo predicto.* Tunc dixit Prepositus: ad hoc scribendum nullus de jure potest me cogere. Respondit Magister, quod si non scriberet, totam domum poneret sub clamore. Prepositus autem considerans & firmiter tenens, quod predicta scribere parum prejudicabat sibi, ex quo ea non jurabat, nec aliter promittebat, & volens sine suo judicio cedere furori predicti fratris Guilielmi tunc Generalis Magistri reputati, ne in Conventu predicto aliquod faceret scandalum suboriri, scripsit, ut Magister petebat, post subscriptionem predictam supradicta verba, scil: *Et qui nunc sum Prepositus inter biennium resignabo Prepositure dicte domus modo predicto.* Hoc tamen non juravit, nec aliter promisit, nec per hoc credidit se obligare; sed solum hoc fecit, ut cederet furori dicti Fratris Guilielmi, & ne in Conventu aliquod scandalum oriretur. Unde eodem sero dixit quibusdam Fratribus, precipue Domino Fratri Jacobo tunc Preposito de Pergamo, qui nunc est Generalis Magister predicti nostri Ordinis: Magister credidit me ligare ad resignandum inter biennium, & non ligavit: nam illud quod fecit me scribere, parum valet, ex quo non fecit me jurare. Respondit sibi dictus Prepositus nunc Ordinis nostri Generalis Magister: Sileas, ne iterum veniat ad notitiam suam, & cogat te ad jurandum.

Queritur primo &c. *Quæstiones Theologicæ hic subduntur de hujusce jurisjurandi validitate, ac præsertim num Præpositus Florentinus jurejurando se obstrinxerit. Negant id Theologi, ceteros tamen Fratres, qui jusjurandum conceptis verbis emiserant, eodem teneri affirmant.* Theologorum autem nomina hæc sunt.

Ego

Ego Francifcus Petri de Magiftris Archidiaconus & Canonicus Florentinus, & Doctor Decretorum, confulo atque fentio prout & ficut fuprafcriptum, & allegatum eft, & ad majoris roboris prefentis confilii firmitatem hic manu propria me fubfcripfi, & mei proprii figilli appenfione duxi maniendum.

Et ego Gregorius olim Domini Bencivenni Advocatus Florentinus una cum Domino Francifco predicto fentio & confulo, ut fuperius fcriptum eft. Ideoque hic manu propria me fubfcripfi, & figno meo fignavi, & ad majoris roboris firmitatem duxi prefens confilium figilli proprii appenfione muniendum.

Decretum de Humiliatorum domo Ciguli ftatuenda.

1339. 6. Febr. Ex Monum ap. Cl. Mannium.

IN Nomine Domini noftri Jefu Chrifti. Amen. Sue falutifere incarnationis anno millefimo trecentefimo trigefimo octavo inditione feptima (1), die fexto menfis Februarij. Ex ferie hujus publici inftrumenti pateat evidenter, quod Reverendus vir fapiens Religiofus Frater Bene Prepofitus divine domus Omnium Sanctorum de Florentia primi Ordinis Humiliatorum ex fuo offitio dicte fue prepofiture una cum infrafcriptis fuis Fratribus conventualibus, prefentialiter refidentibus in ipfa domo, de ipforum fuorum infrafcriptorum Fratrum confilio, & affenfu, nec non ipfi ejus infrafcripti Fratres Conventuales Capituli, & conventus dicte domus, qui funt due partes, & ultra, imo quafi totum Capitulum dicte domus, una cum Domino Prepofito fuperiore ipforum,

(1) Annus Florentinus hic ufurpatur, qui, tribus poft Chriftum natum menfibus incipit, fcilicet die XXV. Mart. Itaque die VI. Febr. annum MCCCXXXVIII. Florentini adhuc numerabant; apud ceteros vero, qui communem anni rationem fequebantur, annus MCCCXXXIX. jam volvebatur, cui fcilicet feptima inditio congruit.

forum, de ipsorum Domini Prepositi licentia, & mandato, nomina quorum hic inferius per ordinem describuntur.

Frater Bene Dominus Prepositus, Frater Deodatus, Frater Guido, Frater Thomaxinus, Frater Philippus, Frater Gregorius, Frater Orlandus, Frater Simon, Frater Angelus, Frater Benincasa, Frater Petrus de Porcellinis, Fratres Thomas, Frater Joannes, Frater Ambrogius, Frater Justus, Frater Emanuel, Frater Leonardus, Frater Petrus Magistri Faldi, Frater Zenobius, Frater Raynerius, Frater Bonifatius, Frater Matheus, Frater Alexander, Frater Andreas, Frater Joannes Noffi.

Omnes prenominati Dominus Prepositus, & Fratres, Capitulum, & Conventus, ad invicem convenientes ad Capitulum in Sacrestia dicte domus, ubi diu consueverunt ad Capitulum congregari, ad sonum Campanelle mandato dicti Domini Prepositi tractantes de augmento dicti ordinis ad reverentiam Domini nostri Jesu Christi sueque Beatissime Matris Marie semper Virginis Gloriose, nec non Venerabilis Patris, & Domini Domini Magistri Generalis suorumque subcessorum in perpetuum, & totius dicti ordinis pro evidenti, & perpetua utilitate, & commoditate dicti ordinis. Considerantes, & animadvertentes sinceram dilectionem, & precordialem amorem, quem, & quam Commune, sive Populus, & universitas Castri de Ceuli (2) districtus Sancti Miniatis del Tedesco (3) Lucane Diocesis, nec non sotietas, sive fraternitas Beate Marie, que congregatur in Ecclesia Sancti Michaelis de Castro de Ceuli, diu habuerunt, & habent ad ipsam domum, Capitulum, & Conventum omnium Sanctorum de Florentia, insuper recolentes multorum benefitiorum receptorum ab eis prebendo,

(2) Cigulum, vulgo *Civoli*, olim etiam *Ceuli* dictum, oppidum est Lucanæ diœcesis, ac duobus circiter mille passibus S. Miniato abest.

(3) De S. Miniati oppido olim, nunc urbe diximus Vol. II. pag. 107. Cur autem S. Miniati *del Tedesco* appelletur explicat Ammiratus (*Stor. Fiorent. T. I. pag. 48.*)

bendo, & largiendo eisdem per publica documenta plura bona, possessiones, & iura, actiones, & nomina spiritualia, & temporalia dudum pertinentes, & pertinentia ad dictos Commune, Populum, universitatem, sotietatem, & fraternitatem de Ceuli in dicto Castro, sive territorio, & in ipsa Ecclesia Sancti Michaelis de Ceuli contenta, expressa, & nominata in hujusmodi publicis instrumentis talium concessionum, inde confectis publicis scripturis per publicos notarios ea maxime intentione, ut in dicto Castro, sive territorio de Ceuli fieret unus devotus Locus, sive conventus dicti primi Ordinis Humiliatorum, Consideratisque humilibus Supplicationibus instanter factis eisdem pro parte dicti communis, & universitatis de Ceuli, videlicet de supplicando, & supplicationes porrigendo Venerabili Patri, & Domino Domino Magistro Generali, & diffinitoribus Generalis Capituli dicti Ordinis, de quodam monasterio, sive loco dicti primi Ordinis Humiliatorum statuendo in dicto Castro, sive territorio de Ceuli per dictum Generale Capitulum dicti Ordinis cum uno Preposito, & Fratribus conventualibus in eo numero condecenti cum hedifitiis, habitationibus, & officinis decentibus, quibus hujusmodi futurus Prepositus statuendus ibidem cum suo Capitulo, & Conventu commode habitare, ac vivere valeant, ratione divini Cultus, & in eo solempniter celebrare divina offitia ad perpetuam laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Beatissime Genitricis Marie, & omnium Sanctorum, & Sanctarum; quorum Supplicationibus inclinati sperantes exaudiri benigne, & gratiam promereri a Venerabili Patre, & Domino Domino Magistro Generali, & diffinitoribus Generalis Capituli dicti Ordinis, ob Supplicationes ipsorum Capituli, & Conventus dicte domus omnium Sanctorum, ut tam pia Vota predictorum de Ceuli debitum sortiantur effectum, preabito inter eos super iis pluries, & pluries diligenti Colloquio, & tractatu, demumque facto, revoluto, & obtento partito inter eos in presentia mei Aldobrandini notarii infrascripti, & testium infrascriptorum. Christi

Christi nomine invocato, concordes eorum nemine discordante, vel contradicente deliberaverunt pro meliori porrigere, vel porrigi facere preces, & supplicationes ipsorum ad Venerabilem Patrem, & Dominum Magistrum Generalem, & diffinitores Capituli Generalis, proxime futuri dicti ordinis fiendi, seu faciendi, ut moris est in dicto ordine, pro parte predictorum communis, & Populi, universitatis, & sotietatis de Ceuli de jamdicto Monasterio sive loco dicti primi ordinis Humiliatorum statuendo; & firmando in dicto Castro, sive territorio de Ceuli cum uno Preposito, & Fratribus Conventualibus, hedifitiis, habitationibus, & officinis condecentibus ratione divini cultus, ut supra dictum fuit, per primum, & in primo capitulo Generali proxime futuro fiendo, seu faciendo, hoc intellecto, addito, & declarato, quod presens declaratio, & deliberatio porrigendi, & faciendi dictas eorum preces ad dictum Dominum Magistrum, & diffinitores jam dicti primi Capituli Generalis dicti ordinis proxime secuturi fiendi, seu faciendi, ut dictum est, locum habeat, & huiusmodi predicte preces, & Supplicationes ipsorum fieri possint, & debeant rationibus predictis, si, & in quantum contingat Fratrem Benem predictum, nunc Prepositum omnium Sanctorum personaliter pergere, & interesse ad ipsum predictum primum Generale Capitulum, & aliter non. Insuper ex nunc prenominati Dominus Prepositus, & Fratres, Capitulum, & Conventus omnium Sanctorum simul existentes, ut dictum est, ex certa scientia, & non per errorem, ut iamdictus futurus Prepositus statuendus in hujusmodi futuro monasterio, sive loco dicti primi Ordinis Humiliatorum statuendo in dicto castro, sive territorio de Ceuli, In primo, & proxime futuro Capitulo dicti Ordinis, & presente dicto Fratre Bene, ut prefertur, cum suo futuro Capitulo, & Conventu habeant, unde se alere possint ratione divini cultus, & pro augmento dicti ordinis, ut dictum est.

Christi nomine invocato donaverunt, & titulo, & causa dona-

donationis, & concessionis pure, libere, simpliciter, irrevocabiliter, & inter vivos dederunt, tradiderunt, & concesserunt, &c. (1).

Acta fuerunt predicta Florentie in Sacrestia dicte domus, & Ecclesie omnium Sanctorum de Florentia presentibus dato Fiorini, Johanne Dini, & Bonsignore Guidonis Populi Sancte Lucie de Florentia, & aliis ad hec vocatis, habitis, & rogatis testibus.

Ego Aldobrandinus quondam Petri de Campi Florentine dioecesis imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius predictis, dum agerentur, interfui, eaque rogatus precibus scripsi, & publicavi.

(1) Subditur hoc loco Humiliatorum decretum, quo bona a Cigulensibus Domui Florentinae omnium SS. attributa, Cigulensi ipsi domui construendae attribuunt; quod cum nimis prolixum sit, nec quidquam memoratu dignum contineat, omisimus. Hoc unice addimus, Florentinos Humiliatos id sibi juris in Cigulensem domum reservasse, ut Cigulenses Humiliati *quolibet anno de Edomada sancta in recognitionem & premium presentis donationis & concessionis unum cereum bone cere nove ponderis duodecim librarum ad minus, bene floridum, & ornatum, ut cereorum pascbalium consuetudo se babuit*, Florentinis Humiliatis dono mittere tenerentur. Porro de Cigulensi domo diximus Vol. II. pag. 101.



Fr. Lucas Manzolius paternorum bonorum haeredes instituit.

1349. 5. Sept. Ex Monumentis ap. Cl. Mannium.

IN Dei nomine Amen. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo nono inditione secunda die quinto mensis Septembris. Discretus, & religiosus vir Frater Luchas Filius olim Ser Manzi quondam Neronis de Ponturmo (1), qui morari consuevit in Populo Sancte Lucie Omnium

(1) Lucas Manzolius, inter Humiliatos deinde celebrrimus, Faesulana infula, Romana purpura, & Beati appellatione insignis. Fuse de illo egimus Vol. I. pag. 160. & 290.

nium Sanctorum de Florentia, & nunc Novitius, & nondum Professus in Conventu Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia Ordinis Humiliatorum, sanus per gratiam Jesu Christi mente, corpore, & intellectu, cupiens in dicto Ordine profiteri, & in eo Christo Redemptori Omnium famulando finire de (forte *substantia*) sua ante professionem per eum in dict) Ordine fiendam ordinare per presens nuncupativum testamentum sine scriptis in hunc modum disponere, ac facere procuravit, & fecit videlicet. In primis quidem reliquid, & judicavit de bonis suis, & hereditate dicti quondam Ser Manzi quondam Patris sui Johanni Fratri Uterino dicti testatoris, & Filio olim quondam Ser Bartolomei Populi Sancte Lucie Omnium Sanctorum, & Filio olim Domine Gemme quondam Matris dicti testatoris cum infrascriptis conditionibus, & honeribus pro duabus partibus de tribus partibus hereditatis, & bonorum dicti quondam Ser Manzi toto tempore vite dicti Johannis usufructus, redditus, & provemptus unius petie terre laborative posite in Populo Sancti Martini, cui a primo via, a secundo Dree Biagi Pizini, a tertio heredum Francischi Ser Andree, & Palmerii Guardi, a quarto heredum Ser Pagni Ser Guelfi. Item unius petie terre posite a San Martino, cui a primo via, a secundo Dree Pulci, & heredum Nicceoluccii, a tertio via, & heredum Berti Nardi, a quarto heredum Domine Nore. Item unius petie terre posite ibi prope cum domo, cui a primo, secundo, & tertio via, a quarto heredum Cionis Belvedere, & Bertii Nardi. Item unius petie terre posite in Chiasso macoccio, cui a primo via, a secundo Dree Biagii, a tertio heredum Niccoluccii Chelli, a quarto Agnoli Sangnigni. Item unius petie terre posite in dicto Populo, & loco dicto Chiasso Macoccio, a primo via, a secundo Dree Biaggi, a tertio via, a quarto Mazzei Manetti. Item unius petie terre posite in dicto Populo, in loco dicto Comiano, cui a primo via, a secundo heredum Batis Compagni, a tertio heredum Jacobi Cam-

Cambii, a quarto Dree Cambii. Item unius petie terre posite in dicto Populo, & loco, cui a primo via, a secundo Martini Malsacconi, a tertio dicti Martini, & Ecclesie Sancti Martini, a quarto heredum Ser Bonajuti Notarii. Item unius petie terre posite in dicto Populo, & loco, cui a primo heredum dicti Ser Bonajuti, a secundo, & tertio heredum Dree Cambii, a quarto Sotietatis Orti Sancti Michaelis (2). Item unius petie terre posite in Populo Sancti Michaelis de Castello, cui a primo, secundo, & tertio via, a quarto heredum Gualtieri, & Plebani de Empoli. Item unius petie terre posite in dicto Populo, & loco, cui a primo via, a secundo heredum Chelli Lotteringhi, a tertio, & quarto Nicholai del Maestro. Item unius petie terre posite in dicto loco, cui a primo, & secundo via, a tertio hospitalis Sancte Lucie (3), a quarto heredum Dree Muccii, & heredum Uguccionis. Item unius petie terre posite in loco dicto alla Ceppaja, cui a primo via, a secundo Zenobii Domini Lapi, a tertio via, a quarto Scarpe Vannis. Item unius petie terre posite in Avanna, cui a primo via, a secundo Miniati Dree, a tertio heredum Gualtieri, a quarto...... Item unius petie terre, cui a primo via, a secundo Biagii Meccie, a tertio heredum Fornarii Gevoli, a quarto heredum Natalis de Bachereto. Item unius petie terre posite in Communi Empoli in Populo Sancti Andree, a primo via, a secundo viculo, a tertio Domini Nicholai Seriuncte. Item unius petie terre posite in Populo

 Sancti

(2) Hoc nomine locus designatur, ubi olim Florentiæ triticum vendebatur. Ammiratus (*Storia Fior. P. I. pag. 166.*): *Lastricarono la loggia d'Orto S. Michele, ove si vendiva il grano*. Ibidem an. MCCCXXVI. publicam ædem tritico servando constructam auctor idem narrat (Ibid. *pag.* 410.)

(3) Hospitalis hæc S. Luciæ domus eadem forte est quæ S. Jacobi ad S. Eusebium dicebatur. Quemadmodum enim S. Luciæ domus ex proxima æde appellabatur *S. Luciæ de S. Eusebio*, ita hospitalis hæc domus, quæ utrique Ecclesiæ proxima esset, poterat ab utraque appellationem ducere.

Sancti Laurentii Communis Empoli in loco dicto Pancole, cui a primo via, a secundo Ecclesie Sancte Reparate, a tertio Ecclesie Sancti Laurenti, a quarto Stefani Jacomucii. Item unius petie terre posite ibi prope a primo via, a secundo Guglielmi Cursi, a tertio Ecclesie Sancti Laurenti, a quarto Plebis Sancti Andree. Item unius petie terre posite in Communi Ponturmi in Populo Sancti Michaelis de Castello in loco dicto ad Orme, a primo Orme, a secundo heredum Michaelis Nardi, a tertio Tucci Guiducci, a quarto Paganelli Albizi. Item unius petie terre posite in dicto Populo, in loco dicto in Carraria, cui a primo via, a secundo Vannis Diedi, a tertio Vannis Amiragli, a quarto dicti Vannis. Item unius petie terre posite in Populo Sancti Michaelis in loco dicto Ortale, cui a primo via, a secundo heredum Simonis Petrioi, a tertio Flumen Piovolino, a quarto heredum Ser Michaelis Ser Petri. Item unius petie terre ibi prope; cui a primo via, a secundo heredum Ser Michaelis Ser Petri, a tertio Flumen Piovolino, a quarto heredum Simonis Petrini. Item unius petie terre vineate posite ibi prope a primo via, a secundo Antonii Diedi, a tertio Lapi Diedi, a quarto heredum Juntini Ughi. Item unius petie terre posite in dicto loco, cui a primo via, a secundo heredum Pazzi Nardi, a tertio via, a quarto Nepi Dossi. Item unius petie terre posite in aquita, cui a primo via, a secundo Magistri Guidi, a tertio Paganelli Albizi, Item unius petie terre posite in dicto loco, a primo via, a secundo heredum, a tertio via Maggio, a quarto Tuccii Manni, & Pieri Lippi. Item unius petie terre posite in dicto loco, cui a primo & secundo heredum Davinuccij, a tertio via, a quarto heredum Ser Manzi. Item unius petie terre posite in predicto loco, cui a primo via Maggio, a secundo Ser Johannis Pagni ...... a tertio, & quarto via. Item unius petie terre posite in Populo Sancti Andree de Empoli in loco dicto in Casaldi, cui a primo via, a secundo heredum Pieri Cambiuzzi, a tertio Domine Salvagge

vagge uxoris olim Balducci, a quarto Benedicti de Nuovole. Item unius petie terre posite in Populo Sancte Marie de Chorte Nuova in loco dicto Chorte Nuova, a primo via, & Lapij Bombenis, a secundo via, & dicti Lapi, a tertio Johannis Guccij. Item unius petie terre posite in loco dicto Chiassatello, a primo via, a secundo Tosi Vincentii, a tertio Mazze Jacomucci, a quarto Petri....... Item unius petie terre posite in dicto Populo, in loco dicto nel Meletro, a primo via, a secundo Lapi Signorelli, a tertio Ser Johannis Pizzini, a quarto via. Item unius domus cum terra posita in Populo Sancti Martini predicti, a primo via, a secundo Dree Bagij, a tertio Domine Cin., a quarto via. Item unius domus posite in Castro Ponturmi in Populo Sancti Michaelis, a primo via, a secundo Johannis Guccij, a tertio Johannis vocati Manza, a quarto via. Item unius domus posite in Castro Empolis in loco dicto Campobretto, cui a primo via, a secundo heredum Cecoli, & Maghinardi, a tertio Mattei Belli. Item unius domus cum terra posita in Communi Empoli Populi Sancti Andree, cui a primo via, a secundo heredum Paoli Delli, & Rustidii Bardi, a tertio Rustidii Bardi, a quarto Johannis Focaccie, & Domine Cee Junte. Item unius domus cum Orto posito in Populo Sancti Michaelis communis Ponturmi, cui a primo via, a secundo Simonis Chelis, a tertio Jacopi Niccoluccij, a quarto Ecclesia Sancti Michaelis, & heredum Bargie. Item unius petie terre posite in loco dicto Chiasso Macoccio, cui a primo via, a secundo heredum Ser Manzi, a tertio Francisci, & Bindi Andree, a quarto heredum Niccoluccij. Item unius petie terre cum domo posita in loco dicto Luciano, cui a primo, secundo, & tertio via, a quarto Albizi de Aleis. Item unius petie terre posite in loco dicto Lugiano, a primo via, a secundo Johannis Cambiuzzi, & Michaelis Gra.... a tertio Ecclesia de Bossoli, a quarto Ser Johannis Trichi. Item unius petie terre posite ibi prope, a primo Johannis Cambiuzzi, a secundo Ecclesia de Bossoli, a ter-

a tertio, & quarto heredum Ser Manzi. Item unius petie terre posite a Valle, cui a primo, & secundo via, a tertio Ecclesia Sancti Jacobi de Valle, a quarto Guccij Ramanzi. Item unius petie terre posite in dicto loco, cui a primo heredum Ser Manzi, a secundo, tertio, & quarto via. Ex fructibus quorum bonorum supra confinatorum voluit, & disposuit dictus testator, quod per dictum Johannem solvantur, & solvi debeant infrascripta legata infrascriptis modis, & ordine, videlicet Sotietati Sancte Marie Orti Sancti Michaelis, & rectoris Capitanei, & Camerarii dicte Sotietatis, & hospitali, seu hospitalerio Sancte Marie Nove de Florentia (4) presenti, & futuro, & cuiuslibet eorum, pro dimidia libras trecentas spendibilium infra duodecim annos videlicet quolibet anno dictorum duodecim annorum libras viginti quinque decem monete, & finitis dictis duodecim annis per dictum Johannem solvantur, & solvi debeant usque ad triginta annos, tunc proxime venturos post dictos finitos duodecim annos Sotietati Sancte Marie Orti Sancti Michaelis, & Rectoribus, & Capitaneis supradictis pro una dimidia tantum, pro alia dimidia dictis hospitali, & hospitalerio Sancte Marie Nove libras decem florenorum quolibet anno dictorum triginta annorum, & finitis dictis triginta annis per dictum Johannem solvantur, & solvi debeant de fructibus, & redditibus predictis quolibet anno triginta annorum post finitos dictos triginta annos predictis Sotietati Orti Sancti Michaelis pro una dimidia, & hospitali Sancte Marie Nove pro alia dimidia libras quinque spendibilium. Superfluum vero dictorum reddituum supradictorum bonorum, quod supererit, aut superesset in quolibet anno dictorum annorum solutis primo legatis predictis nomine, & forma predictis distribui, & solvi, Idem te-

(4) Celeberrimum est Florentinum S. Mariæ Novæ Nosocomium a Falcone Portinario an. MCCLXXXVII. exstrui cœptum. V. Ughell. *in Archiep. Florent.* ubi de Andrea Mozzio, & Ammiratum *Stor. Fiorent. P. I. pag.* 190.

testator iussit, voluit, & reliquit per dictum Johannem Procuratorem pro piis locis, & piis decanis illis ipsis pauperibus, & piis locis, & piis decanis prout dictus Johannes declaraverit, vel eisdem placuerit destribuende. Quem Johannem idem testator executorem ad predicta, & in predictis omni modo via, & iure quibus magis, & melius potuit executores fecit, elegit, & deputavit. Post mortem vero supradicti Johannis modo, forma, conditione, & honere supradictis reliquit, & iudicavit usumfructum redditiuum, & proventuum supradictorum bonorum supra relictorum dicto Johanni, Bartolomeo Fratri Uterino dicti testatoris, & olim Filio ser Bartolomei dicti Populi Sancte Lucie, ipsumque Bartolomeum post mortem ipsius Johannis, & advenien. casu predicto executor. ad supradicta, & in predictis omni modo via, & iure, quibus magis, & melius potuit modo, & forma predictis executor. fecit, elegit, & deputavit. Post mortem vero dictorum Johannis, & Bartolomei modo, forma, ordine, conditione, & honere supradictis reliquit, & iudicavit redditus, & proventus dictorum bonorum supra relictorum dictis Johanni, & Bartolomeo Conventui Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia, primumque Conventum post mortem supradictorum Johannis, & Bartolomei, & utriusque eorum, & advenientibus omnibus supradictis executor. ad predicta, & supradictis omni modo, via, & iure, quibus magis, & melius potuit executores elegit, fecit, & deputavit, iubens dictus testator per dictum Conventum dictas distributiones, & solutiones fieri debere modo, & forma supradictis, & quibus facte fuerint per dictos Johannem, & Bartolomeum, vel alterum eorum. Ex quo superfluo remanente solutis supradictis legatis dicte Sotietati Orti Sancti Michaelis, & dicto hospitali Sancte Marie Nove, & mortuis supradictis Johanne, & Bartolomeo liceat, & licitum sit dicto Conventui detinere quolibet anno durante executione predicta florenos auri viginti expendendi per unum, vel duos Operarios per dictum Conventum quolibet anno eligendum

in

in aliquod opus evidens, & utile Ecclesie, vel Sacrestie, seu Cimiterii dicti Conventus, prout ipsis, seu ipsi Operario placuerit, nec aliud, nec plus ex dicto superfluo dictorum reddituum, dictorum bonorum pro se retinere possint, nec in aliud expendi, & super hoc dictum Conventum, & Operarium, seu Operarios, & eorum conscientias honeravit. Finitis vero supradictis duodecim annis, & supradictis triginta annis post dictos duodecim annos, & etiam finitis supradictis triginta annis post dictos triginta annos, qui adscendunt in summa septuaginta duorum annorum dicta suprascripta bona supra confinata, quo ad usum fructum, & proprietatem reliquit, & iudicavit, & devenire voluit ad Conventum Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia cum honere, & conditione infrascriptis videlicet, quod dictus Conventus teneatur dare, seu tradere, & det, & tradat quolibet anno in perpetuum tertiam partem reddituum, & proventuum dictorum bonorum supra confinatorum Capitaneis, & Sotietati Orti Sancti Michaelis, qui pro tempore fuerint, & aliam etiam partem hospitali, seu hospitalerio Sancte Marie Nove de Florentia, & reliquam tertiam partem hospitali Sancte Marie della Schala de Florentia (5), vel per redentorem dictorum fructuum, reddituum, & proventuum dictarum duarum partium dictorum bonorum, & hereditatis predicte dicti quondam Ser Manzi det, & solvat, & dare, & solvere teneatur, & debeat dictis sotietati Sancte Mariæ Orti Sancti Michaelis, hospitali Sancte Marie Nove, & hospitali Sancte Marie della Schala libras centum spendibilium inter omnes pro equali parte, pro quo modo ut dictum est secundum relationem factam in testamento olim condito per dictum Ser Manzum. Residuum vero dictorum fructuum, reddituum, & proventuum dictorum bonorum supra confi-

(5) Nosocomium hoc paucos ante annos Florentiæ constructum fuerat. Nam circa an. MCCCLI. vivebat adhuc Sandrius Cionis Pollini filius ejusdem fundator. V. Ammiratum *Stor. Fiorent. P. I. p. 523.*

confinatorum solutis primo dictis libris centum spendibilium quolibet anno in perpetuum devenire, & remanere voluit, & mandavit idem testator ad dictum Conventum Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia pleno iure, ipsumque residuum dicto Conventui modo, conditione, & honeribus supradictis iure legati reliquit. Et si dictus Conventus suprascriptum legatum seu relictum non acceptaverit, & dictas libras centum spendibilium, ut supra dicitur, non solverint, voluit, & iussit dictus testator ipsos fructus, redditus, & proventus suprascriptorum bonorum, ac ipsius suprascripta bona, quo ad usum fructum, & proprietatem cum honeribus, & conditionibus supradictis devenire debere ad Pinzocheros tertii Ordinis Beati Sancti Francischi per hospitalem Sancti Pauli, & Sancti Bartoli de Mugnone, ipsaque bona, quo ad usum fructum, & proprietatem dictis Pinzocheris pro dictis hospitalibus, dictis casibus evenientibus, cum honeribus, & conditionibus suprascriptis reliquit. Prohibuit autem dictus testator suprascripta bona supra proxime confinata pro dictis duabus partibus dicte hereditatis dicti quondam Ser Manzi vendi, pignorari, permutari, vel quomodolibet obligari, vel alienari, vel in alium contractum deduci per predictos Johannem, vel Bartolomeum, seu Conventum, seu per dictos Pinzocheros, aut hospitalerios dictorum hospitalium, vel alterum eorum, sed semper remanere voluit, & mandavit firma ad hoc, ut semper integre cum effectu adimpleri possit dispositio suprascripta.

Item reliquid infrascripta bona ad supradictum testatorem pertinentia, & expectantia pro iure dotium Domine Gemme quondam Matris dicti testatoris, & uxoris olim dicti Ser Manzi, & pro sua legiptima, que eidem testatori competit pro tertia parte omnium bonorum, & hereditatum dicti quondam Ser Manzi, quondam Patris ipsius testatoris, dicto Johanni toto tempore vite ipsius Johannis cum honeribus, & conditionibus infrascriptis, & post ipsius Johannis mortem cum honeribus, & conditionibus infra-

infrascriptis reliquit usumfructum ipsorum infrascriptorum bonorum suprascripto Bartolomeo Fratri dicti Johannis toto tempore vite dicti Bartolomeij. Videlicet quod dictus Johannes vivens, & post eius mortem dictus Bartolomeus teneatur, & debeat tenere, alimentare, custodire, & nutrire Nicholosam Filiam olim Guittonis Ser Manzi quondam Fratris dicti testatoris, & eidem Nicholose in infrascripta domo dare, & det victum, & vestitum, & decent. donec, & quousque ipsa Nicholosa nubat, vel monialis efficiatur, & in casu, quo dicta Nicholosa nuberetur, & vidua remaneret, teneantur, & debeant ipsam Nicholosam donec vidua staret, & honeste viveret, si ipsa Nicholosa voluerit ipsa infrascripta domo retinere, ac etiam eidem Nicholose dare, & prestare alimentum, & victum, & vestitum in casu, quo ipsa Nicholosa vidua remaneret, & aliunde unde se alere non haberet, vel usque quo dotes suas habere distulcrit, eidemque Nicholose dictis casibus, vel altero eorum evenient. ipsa vidua habuerit, & redditum cum ipsis Johanne, & Bartolomeo, vel altero eorum infrascripte domus reliquid dom. alia poder. & bona, de quibus supra in presenti Capitulo fit mentio sunt ista videlicet. Una domus cum curte, & puteo posita Florentie in Populo Sancte Lucie Omnium Sanctorum in via Burgi Omnium Sanctorum, cui a primo via, a secundo heredum Betti, a tertio Bartolomei Talducci, a quarto heredum Johannis. Item tres domus ad unum se tenentes posite in Populo Sancti Laurenti prope Plateam Campi Corbolini, quibus omnibus, a primo, & secundo via, a tertio Rustidii Biadaiuoli, a quarto heredum Augustini Guidi. Item unum petium terre positum in communi Ponturmi in loco dicto Seravalle cum domo, curia, terra laborativa, & Giardino, & arboribus, quibus a primo, & secundo via, a tertio Filii, & heredum Ser Manzi, a quarto Simonis Magistri, & Franceischi Martini. Item unum petium terre positum ibi prope, cui a primo, & secundo via, a tertio Martini Malsacconis, a quarto here-

heredum Dominici Cecchi. Item unum petium terre laborative cum arboribus fructiferis, & non fructiferis positis ibi prope, cui a primo via, a secundo heredum Cianghi Guiduccij, a tertio Flumen Arni, a quarto heredum Guidi Simonis. Post mortem vero dicti testatoris dictis Johanne, & Bartolomeo premortuis dicta suprascripta bona, possessiones, & domus supra proxime confinata voluit, iussit, & mandavit dictus testator, quo ad usumfructum, & proprietatem devenire ad Conventum Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia, ipsaque domus, bona, & terras casibus supradictis evenient. reliquid dicto Conventui Fratrum Omnium Sanctorum. Quorum bonorum, domorum, Poderium, ac possessionum supra proxime confinatorum redditus deveniat ad depositarium dicti Conventus, qui pro tempore fuerit infrascripto modo destribuend. & solvend. videlicet, quod dictus depositarius in perpetuum quodlibet anno diversis temporibus faciat quattuor anniversaria pro anima dicti Ser Manzi quondam Patris dicti testatoris, & Domine Gemme quondam Matris dicti testatoris, & dicti Guittonis quondam Fratris dicti testatoris, & pro anima ipsius testatoris, in quorum quodlibet expendat inter sex libras Candelarum, & unam piatantiam dicto Conventui Florenos auri duos. Et etiam faciat quolibet anno in perpetuum solepniter celebrari festum Beati Sancti Luce in eiusdem testatoris Cappella edificanda, in quo inter oleum lampade continuo comburendum, & quatuor cereos, & piatantiam florenos auri tres, ac etiam teneatur, & debeat idem depositarius ex dictis redditibus penes se retinere quodlibet anno florenos auri viginti, *quos* expendat, & expendere possit, & debeat in sussidium ipsorum studentium dicti conventus, & de predictis ipsum depositarium, & eius conscientiam dictus testator agravavit, nec in aliud ipsos florenos auri viginti expendere possit. Residuum vero dictorum redditunm, & proventuum supradictorum bonorum a dictis florenis auri viginti, sic retinend. & solvend. ac expendend. a dictis factis expensis sibi voluit, & iussit

C 2 dictus

dictus testator, quod dictus depositarius det, & assignet Operario, seu Operariis uno, vel pluribus ad hec quolibet anno predicto convenienti eligend. qui Operarius, seu Operarii ipsum tale residuum sit per dictum depositarium eisdem, seu eidem assignat. vel assignand. expendat, & expendere teneatur in aliquod opus evidens, & utile Ecclesie Sacrestie, vel Cimiterij dicti Conventus, seu alibi infra septam dicti Conventus prout dicto Operario, seu Operariis videbitur, & placuerit, nec in aliud spendi possint, ed de predictis dictos Operarium, & depositarium, & conventum, & eorum conscientias agravat, iubens & mandans, ac proibens dictus testator dicta suprascripta bona, possessiones, & domus supra proxime confinat. in perpetuum vendi non posse, seu pignorari, permutari, vel obligari, vel quolibet in alium transferri per dictum Conventum, seu dictos Johannem, & Bartolomeum, vel alterum eorum perpetuo firma stare, & permanere voluit, & mandavit ad hoc ut semper, & integre cum effectu suprascriptum debitum sortiantur effectum.

Item iure legati reliquid dicto Johanni omnia bona sua mobilia, & iura, nomina, & actiones eidem testatori cum instrumento, vel sine, aut quolibet pertinent. & expectant. ubicumque, & apud quemcumque reperirentur, vel essent ipsa bona mobilia, salvo quod de supradictis legatis constituens dictus testator dictum Johannem Procuratorem ut in rem suam, ita quod a modo, & deinceps possit idem Johannes actionibus utilibus, & directis ipsa bona mobilia, & iura, nomina, & actiones petere, exigere, confiteri, finire, & iura cedere, & omnia facere, que idem testator facere potest, seu posset. Non intendens dictus testator dicta suprascripta bona, & hereditatem predictam esse obligatam ad aliquod honus, seu ad aliquas expensas faciendas, seu imponendas dicto Conventui, aut dictis hospitalibus per Dominum nostrum Papam, seu Magistrum dicti Ordinis Humiliatórum, vel alia quacumque ratione, aut causa; set omnino voluit, & iussit ipsa supra-

prascripta bona, & hereditates esse exemta ab omni decima, & solutione imponenda ad hoc, ut omnia supradicta suum debitum sortiantur effectum, & ut predicta legata supradictis piis locis integre, & cum effectu solvi possint sine aliqua diminutione. In omnibus autem bonis suis mobilibus, & immobilibus, iuribus, nominibus, & actionibus exceptis ec. in supradictis legatis, & iuribus, & bonis mobilibus supra in presenti testamento relict. sibi heredem universalem instituit, iussit, & esse voluit Fratres, Capitulum, & Conventus Fratrum Omnium Sanctorum de Florentia. Et sciens dictus testator facultates, & earum extimat. prohibuit detrahi falcidiam, vel trebellianicam eisdem de iure competent. ex legatis predictis, & in casu, quo ipsi Fratres, & Capitulum heredem predict. falcidiam, vel trabellianicam supradictorum legatorum peterent eosdem a dicta presenti hereditate dictus testator privavit, & privat, & loco ipsorum Fratrum, & Capituli instituit, & substituit modo, forma, & conditione predictis hospitale Sancti Bartoli de Mugnone predictum. Et hoc asseruit dictus testator esse suum ultimum testamentum, & suam ultimam voluntatem, quam, & quod valere voluit iure testamenti, quod si non valet, vel valebit iure testamenti, voluit valere, & tenere iure Codicillorum, seu donationis causa mortis, vel alterius cuiuscumque ultime voluntatis, quo, qua, seu quibus magis melius valere, & tenere potuit, seu posset, potest, vel poterit, & hoc voluit omnibus prevalere. Cassans, irritans, & annullans dictus testator omne aliud testamentum, & ultimam voluntatem, ac Codicillum per eum hinc retro factum non obstantibus aliquibus verbis derogatoriis, si qua in eis, vel eo apposit. esse reperirentur, de quibus dixit se penitere, rogans me Notarium infrascriptum de predictis publicum conficere instrumentum.

Actum Florentie in Populo Sancte Lucie omnium Sanctorum in loco Conventus Fratrum Omnium Sanctorum presentibus testibus religiosis Fratribus Fratre Simone Preposito Conventus

Fra-

Fratrum Omnium Sanctorum, Fratre Francisco Richi, Fratre Paulo Bencini, Fratre Guido Guardi, Fratre Taddeo Johannis, Fratre Michaele Finuccij, & Fratre Antonio Chelis dicti Conventus testibus ad hec habitis, & a dicto testatore vocatis, & rogatis.

Ego Michael Filius Ser Jacobi Michaelis de Rabatta florentine diocesis imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius, publicusque Notarius, & Civis Florentinus predictis omnibus interfui, eaque rogatus publice scripsi, ideoque me subscripsi, & publicavi, meoque solito signo signavi.

Conjunctio Domus de Butenugo cum Domo Communi Bergom.

1354. 11. Jun. ex Bibl. Braid.

IN nomine Domini. Anno Domini 1354. Indictione septima die mercurii undecimo mensis Junii in capitulo domus comunis de pergamo ordinis humiliatorum, reverendus in Christo pater & dominus, dominus Ubertus Dei & apostolice sedis gratia dicti ordinis generalis magister (1), attendens quod Fratres Bonus & Georgius ibidem presentes professi domus de Butenugo (2) de pergamo propter eorum paucitatem & rerum inopiam minus religiose vivere poterant in dicta domo de Butenugo, habitis primo super predictis & suprascriptis matura deliberatione & prudenti consilio, de consensu plurimorum prepositorum dicti ordinis, vigore apostolici privilegii sibi ab apostolica sede concessi, cujus tenor talis est: *Benedictus episcopus &c. (Recitantur hic Benedicti XI. litere, quas protulimus Vol. II. pag. 352.)*, & aliis

(1) Ubertus de Regibus, de quo diximus Vol. I. pag. 122.

(2) Butanucum pagus est Bergomensis agri; sed additum illud *de pergamo* urbanam domum indicare videtur ab ejusdem pagi nomine appellatam, quod sæpe apud Humiliatos contigisse alias animadvertimus.

aliis modis, quibus poteſt melius, univit prediẞos Fratres, & bona, & jura ipſius domus de Butenugo, & ipſam domum, ac incorporavit ſupradiẞe domui comuni diẞi ordinis de pergamo, ita quod de cetero prediẞe domus ſint unum corpus, & regantur, & gubernentur per prepoſitum diẞe domus comunis, & hoc fecit preſentibus ſupraſcriptis fratribus Georgio & Bono, ipſis volentibus, ac prediẞam unionem fieri petentibus. De quibus omnibus prediẞus Dominus Magiſter, ac ipſi Prepoſitus, & fratres Pelegrinus, Jacobus, Tadeus, Antonius, & Bartolinus diẞe domus comunis profeſſi, & ipſi fratres Bonus & Georgius preceperunt mihi notario infraſcripto, ut de prediẞis unum publicum conficerem inſtrumentum, & plura ejuſdem tenoris. Aẞum in prediẞo capitulo domus comunis preſentibus fratre Martino domus porte Orientalis Mediolanen., diẞi ordinis prepoſito, & Alghiſino filio Beltrami de Moris de Redona & Bertramo filio Belardini de trio teſtibus ad hoc vocatis & rogatis. Et ego Fr. Ruffinellus domus S. Joannis de Alexandria diẞi ordinis profeſſus imperiali auẞoritate notarius, ac diẞi Magiſtri & ordinis capellanus & officialis publicus hiis interfui, & in hanc cartam mihi viſam traditam ſcripſi, & me ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum, & ad majoris roboris firmitatem ſigilli diẞi D. Magiſtri appenſione de ipſius Magiſtri mandato hoc inſtrumentum munivi.



Bergo-

Bergomensis Episcopi Sententia qua Humiliatis dignior in supplicationibus locus præ Cruciferis decernitur.

1370. 9. Jan. Ex Tabul. Cathedr. Bergom.

IN Nomine Domini. Cum Religiosus & honestus vir D. Frater Bertulinus de Cenate prepositus Monasterii & fratrum de Galgari pergam. hordinis fratrum humiliatorum de pergamo extra muros burgorum pergami Sindicus & Procurator Sindicario & procuratorio nomine ad hec & alia facienda supradictorum Fratrum, Monasterii, Capituli, Conventus ejusdem per cartam &c. & D. & Religiosus & honestus vir D. Fr. Jacobus de Raude prior domus comunis pergami, sindicus &c. & D. Religiosus & honestus vir D. Fr..... de Scotis de Mediolano prepositus monasterii & Fratrum domus S. Bartolomei pergami sindicus &c. Nomine & vice omnium domorum Fratrum Humiliatorum de pergamo ex una parte; & D. Frater Petrus de Redona Prior Monasterii & Fratrum Hospitalis Dñi S. Leonardi de Pergamo (1) Sindicus & procurator suprascripti monasterii, & Fratrum, & capituli, & hospitalis S. Leonardi ad hec & alia facienda &c. appellatione remota & ab eis penitus condonata expressim & ex certa scientia & non per errorem &c. concorditer & unanimiter elegissent Reverendum in Christo Patr. & DD. Fr. Lanfrancum dei & apostolice sedis gratia Episcopum Pergamen. & Comitem (2) in eorum & cujuscumque eorum suis & dictis

(1) S. Leonardi ædes, quas nunc Clerici Regulares Congr. Somaschæ incolunt, iisque olim proximam hospitalem domum Cruciferi diu tenuerunt. Hos anno MCLXXI. Bergomum advocatos fuisse vidimus Vol. II. pag. 65., atque hinc collegimus, ante illum annum eamdem urbem ingressos fuisse Homiliatos.

(2) Lanfrancus Salvettus Ord. Minor. ab an. MCCCXLIX. ad an. MCCCLXXXI. Bergomensis Episc. V. Ughell. Ital. Sacr. T. IV. in Episc. Bergom.

dictis modis & nominibus arbitrum & arbitratorem & amicabilem compositorem &c. de quadam & ex quadam questione, causa, lite, seu controversia, seu altercatione inter prefatos Dños Prepositos & Priorem dictorum Fratrum *&c.* ex parte una seu pluribus, & predictum D. Fratrem Petrum de Redona priorem & sindicum suprascripti Monasterii seu hospitalis S. Leonardi suo & dictis nominibus, quibus supra, ex altera parte, qui ex predictis D. Prepositi de galgari, de domo comuni, & de S. Bartolomeo, & omnes fratres domus humiliatorum dicti Ordinis de pergamo ex una parte seu pluribus, & predictus D. Fr. Petrus Prior suprascripti hospitalis S. Leonardi debeant precedere & anteferri ad corpora personarum defunctarum, & que in futurum mori contigerit, an suprascripti Domini Prepositi Humiliati, & conversi *&c.* an supradictus Fr. Petrus *&c.* cum Fratribus & consortibus suis *&c.*, ut de predictis & aliis plenius continetur in instrumento rogato per Jacobum Guilielmi de Uliiporcis not. publ. pergam. die 20. mensis Septemb. 1368. Indict. sexta. Tandem prefatus Rev. P. D. Episcopus Arbiter & Arbitrator ut supra, volens parcere laboribus & expensis dictarum partium, dixit, pronunciavit, sententiavit in hunc modum. Christi nomine invocato, prius visis & inspectis rationibus & juribus dictarum partium, & auditis allegationibus ipsarum, & attendens, & considerans, quod antiquiores ordines magis sunt honorandi quam noviciores ordines, & quod noviciores ordines in processionibus Ecclesiasticis debent precedere & anteferri ... antiquiores ordines secundum gradus suos, & aliis rationibus & causis, in his scriptis pronunciavit, & sententiavit, arbitratus & arbitramentatus fuit, quod predicti confratres suprascripte domus & hospitalis S. Leonardi, in omnibus processionibus Ecclesiasticis fiendis ad corpora personarum defunctarum, & ad alias, debeant precedere & anteferri prepositos & fratres ordinis Humiliatorum, ita quod ipsi Prepositi & fratres ordinis Humiliatorum in ipsis processionibus se-

ſecundum gradus Ordinum.... eſſe debeant magis prope D. Epiſcopum Pergamen. & perſonas Eccleſiaſticas ſeculares, & magis honorandi in omnibus proceſſionibus, quam ſupraſcripti Prior & fratres domus & hoſpitalis S. Leonardi. Ita pronunciavit &c.

Actum hoc anno nativitatis Domini 1370. Indict. 8. die vero nono januarii in civitate pergami in Epiſcopali palatio, preſentibus &c.

Fr. Nicolini de Riccis electio
ad procuranda negotia domus S. Marthæ Genuenſ.

1370. 11. Mart. Ex Tabul. Archiep. Piſan.

IN Nomine Domini. Amen. Infraſcripti Fratres Conventus Eccleſie ſancte Marthe de Janua Ordinis Humiliatorum choadunati, & congregati ad Capitulum ſono Campane more ſolito pro infraſcripto negocio ſpecialiter effectuando de mandato Donni Fratris Nicolini de Riccis de Vercellis Prepoxiti dicte Domus, Conventus, & Eccleſie, quorum nomina ſunt hec: Frater Rufinus de Graſſis de Caſtro Novo, Frater Petrus de Palcentia (*forte* de Placentia) Frater Matheus de Alexandria, Frater Dominichus de Papia, Frater Johannes Guanrerius de Janua, Frater Jacobus de Sarzanio, Frater Petrus de Graſſis de Caſtro Novo (1), Frater Rufinacius de Caſtro Novo, Frater Jacobus de Punri, Frater Antonius de Serra de Janua, cum nulli alii ſint ad preſens reſidentes in dicto Conventu, eorum nominibus, & dicti eorum Conventus, & Capituli, non revocando propterea alios Sindichos, ſeu Procuratores habitos retro per ipſos ſactos, ſet pocius confirmando, omni via, jure, modo, & forma quibus melius poſſunt, faciunt, conſtituunt, & fecerunt, conſtituerunt, & fecerunt eorum, & cujuslibet eorum, & dicti Conventus

(1) Idem qui Papienſi Eccleſiæ deinde præfuit. V. Vol. I. pag. 167.

tus & Ecclesie certum Nuncium, Sindichum, & Procuratorem, & prout melius fiet, & esse poterit dictum Donnum Fratrem Nicolinum de Riccis de Vercellis Prepoxitum dicte Ecclesie Domus, & Conventus presentem, & mandatum spunte suscipientem ad omnes Lites, Causas, Questiones, & Controversias, que & quas dicti Fratres, & Conventus habent, & habere sperant cum quacumque Persona, Collegio, Corpore, & Universitate, iam in agendo, quam in defendendo &c.

Actum Janue in Capitullo Ecclesie S. Marthe predicte, Anno Dominice Nativitatis Millesimo trecentesimo septuagesimo, Indictione septima, secundum Cursum Janue (2), Die vigexima prima Marcii Hora Terciarum, Testes Guizardus de sancto Eussebio sartor, Petrus de Capssinis Falciator Vestium, & Nicolaus de Uncio Sartor.

Ego Simon Parrizolus de Diano sacri Imperii Notarius rogatus scripsi.

 Pri-

(2) Fateor me non intelligere, qua anni ratione Genuenses uterentur. Si enim vulgari, an. MCCCLXX. Indictio VIII. non VII. congruit; si Pisano, qui die XXV. Martii inchoatur, ac novem mensibus vulgatem antevertit, eadem occurrit difficultas; nam dies XXI. Martii ad eumdem, seu vulgarem, seu Pisanum annum pertinet. Si vero Florentino, qui tres fere menses vulgari serius incipit, scilicet die pariter XXV. Martii, dies XXI. Febr. Florentin. anni MCCCLXX., ad annum vulgarem MCCCLXXI. pertinebat, ac proinde Indictione nona notandus erat. Itaque, aut error irrepsisse dicendus est, aut hoc monumentum iis erit adnumerandum, quæ, ut ait Cangius (glossar. Lat. T. I. pag. 434. & sequ.), quamvis Chronologiæ repugnare videantur, non ideo tamen reiicienda sunt, cum cetera omnia legitimi monumenti fidem faciant.

Privilegium Gregorii XI.
ſicut Præpoſiti illi, qui a Sede Apoſtolica promoti fuerint, ſint ſub obedientia Domini Generalis.

1373. 5. Jan. Ex Cod. Purlc.

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Chriſtophoro Magiſtro Generali Ordinis Humiliatorum (1) ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſervitutis nobis injunctæ deſuper officium mentem noſtram incitat & inducit, ut circa ea, quæ pro ſtatu proſpero perſonarum ſub Religionis habitu vacantium piæ vitæ ad perſeverantiam divini ſervitii opportuna fore conſpicimus, operoſis ſtudiis intendamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet omnes & ſinguli Præpoſiti Præpoſiturarum dicti Ordinis Magiſtro Generali ipſius Ordinis pro tempore exiſtenti tam ex inſtitutis ejuſdem Ordinis per Sedem Apoſtolicam approbatis, quam etiam de antiqua, & approbata, & hactenus pacifice obſervata conſuetudine ſubeſſe noſcantur, & ad obſervantiam regularis diſciplinæ ſint adſtricti, tamen nonnulli ex eiſdem Præpoſitis, ex eo quod ipſi Præpoſituras, quas obtinent, a Sede Apoſtolica ſe aſſerunt impetraſſe, a correctione & obedientia tua ſe ſubtrahere conantes, prætendunt ſe tibi in aliquo non ſubeſſe, nec teneri ad obſervantiam regularem, in magnum ejuſdem Religionis opprobrium, & contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ; propter quod in ipſo Ordine magnum generatur ſcandalum, & majora exinde exoriri veroſimiliter formidantur. Quare pro parte tua nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos ergo hujuſmodi ſupplicationibus inclinati

(1) De Chriſtophoro Humiliatorum Magiſtro, ac de vicibus, quas Ille, dum iiſdem præeſſet, paſſus eſt, fuſe diximus Vol. I. pag. 125. & ſequ.

nati volumus, & auctoritate Apostolica statuimus, & etiam ordinamus, quod Præpositi dicti Ordinis, qui sunt, & erunt pro tempore, & quibus de præposituris hujusmodi auctoritate prædicta provisum extitit, seu provideri contigerit in futurum, tibi, & successoribus tuis Magistris Generalibus dicti Ordinis, qui erunt pro tempore, perinde subjecti, & ad observantiam regularis disciplinæ adstricti existant, ac si eis per Magistrum Generalem dicti Ordinis pro tempore existentem, seu ejus auctoritate provisum, seu electiones de ipsis factæ ejus auctoritate confirmatæ extitissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avenione Non. Jan. Pontificatus nostri anno tertio.

Privilegium Gregorii XI. sicut Capellani Domini Papæ obedire tenentur Prælatis suis, cujuscumque ordinis sint.

1373. 9. Novemb. Ex Cod. Paric.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad Romani Pontificis providentiam circumspectam sic Sedis Apostolicæ privilegia ac indulta moderari pertinere dignoscuntur (*ita*), quod ex eis materia malignandi nulli detur, ac personæ, quæ sub Religionis habitu vacare debent studio piæ vitæ & bono obedientiæ, a perseverantia divini servitii nullatenus retrahantur. Sane dudum ad nostrum relatio fide digna perduxit auditum, quod nonnulli Religiosi etiam Mendicantes, qui in Capellanos Sedis Apostolicæ se recipi curaverunt, propterea bonum obedientiæ & correctionis recusantes,

per

per mundum, & ut plurimum sine suorum Superiorum licentia sæpius evagando discurrunt, & quandoque ad Romanam Curiam accedunt, asserentes sine hujusmodi Superiorum suorum licentia se hoc facere posse. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officii, salubriter providere cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, volumus, & etiam ordinamus, quod omnes & singuli Religiosi quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, dictæ Sedis Capellani, qui sunt, & qui in antea erunt, perinde eorum Superioribus & correctioni ipsorum in omnibus & per omnia sint subjecti, ac si prædictæ Sedis Capellani non essent. Non obstantibus exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, & gratiis, & litteris Apostolicis, Capellanis dictæ Sedis, vel aliis, communiter vel divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum a dicta Sede concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi de illis plena & expressa mentio, ac de verbo ad verbum in præsentibus sit habenda, quæ quoad hoc alicui in nullo nolumus suffragari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Avinione V. Id. Novemb. Pontificatus nostri anno tertio.

Pri-

Privilegium Gregorii XI. ficut Archiepifcopus & Abbas S.Syri Januenfes habent procedere contra impetrantes Præpofituras & Prælaturas in Ordine Humiliator.

1376. 23. Octob. Ex Cod. Puric.

GRegorius Epifcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Archiepifcopo Januenfi (1), & dilecto filio Abbati Monafterii S. Syri Januenfis (2) falutem & Apoftolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Chriftophori Ordinis Fratrum Humiliatorum Generalis Magiftri petitio continebat, quod Præpofiti, & Priores, Prælati communiter nuncupati, qui funt pro tempore domorum Ordinis antedicti, adminiftrationibus, Præpofituris, & Prælaturis ipfarum domorum, quas pro tempore obtinent, aliqui annuatim, aliqui vero de biennio in biennium in manibus Magiftri Generalis, vel Vifitatorum exiftentium pro tempore Ordinis memorati, libere renuntiare, & idem Magifter,

fi

(1) Erat is Andreas Turrianus, Ord. Præd., qui ab anno MCCCLXVIII. ad annum MCCCLXXVII. Januenfi Ecclefiæ præfuit. V. Ughell. *Ital. Sacr. Tom. IV. in Archiep. Januenf.*

(2) S. Syri Ecclefia olim Cathedralis fuit apud Januenfes; mox illam Joannes Januenfis ab anno CMLXXXV. ad annum CMXCIV. Epifcopus ad S. Laurentii tranftulit. Ughellius loc. cit. de Joanne agens, ait S. Benedicti Monachos a Lanfranco Joannis fucceffore ad S. Syri conftitutos; ac ejufdem Cœnobii Abbatum feriem contexit. At poftea fubdit S. Syri Cœnobium a Joanne ipfo exftructum. Forte hæc ita concilianda funt, ut Joannes quidem Cœnobium exftruxerit; tum illo interea demortuo Lanfrancus in illas ædes Monachos induxerit. Has illi ad annum ufque MDLXXV. tenuere; tunc vero, cum jamdiu commendatæ effent, Monachis amotis, Clericis Regularibus attributæ funt, qui templum ad eam amplitudinem, ac magnificentiam perduxerunt, qua nunc floret. Hic vero anno MCCCLXXVI. S. Syri Abbas erat Lanfrancus Saccus Papienfis, qui deinde anno infequente Januenfis Archiepifcopus juffus eft.

si placet eidem, hujusmodi renuntiationes ordinaria auctoritate admittere, ac post admissiones ipsarum renunciationum eosdem renuntiantes, vel alios, prius tamen a suarum domorum conventibus, si domus ipsæ conventuales existant, electos confirmare; si vero conventuales non sint, ipsarum domorum regimen personis idoneis committere pro suæ beneplacito voluntatis, sunt hactenus consueti; idque pacifice obtentum & conservatum est a tempore, cujus contrarii memoria non existit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nonnulli Fratres ipsius Ordinis aliquas ex administrationibus, Præposituris, & Prælaturis hujusmodi contra observantiam & consuetudinem hujusmodi a Sede Apostolica impetrare conentur, pro parte ipsius Christophori Magistri fuit nobis humiliter supplicatum, ut ad Ordinis prælibati quietem, & ne hujusmodi vel similium impetrationum prætextu ejusdem Ordinis Fratres ipsarum causa promoti, vel qui promovebuntur in posterum in Ordine supradicto, ab obedientia Magistri existentis pro tempore Ordinis prælibati, & ab ejusdem Ordinis observantiis retrahantur, providere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes salubres Religionum mores, præsertim per quos humilitas & obedientia confoventur, in sua integritate vigere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum Magistro existenti pro tempore dicti Ordinis, & eidem Ordini auctoritate nostra de speciali privilegio indulgeatis, & concedatis, quod gratiis per Apostolicam Sedem de Præposituris, Prælaturis, & aliis administrationibus domorum, seu locorum ipsius Ordinis, aut de ipsorum aliquo vel aliqua factis, vel in posterum faciendis non obstantibus quibuscumque, promoti per eas, aut earum vigore, seu in antea promovendi, annuatim, seu de biennio in biennium ut moris est, hujusmodi Præposituras, Prioratus, Prælaturas, & administrationes renuntiare, ac alias memorati Ordinis consuetudines observare, & alias jurisdictioni, & correctioni Magistri pro tempore existentis,

tam

tam in prædictis, quam in aliis, nec non ejuſdem Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus perinde ſubeſſe teneantur, ac ſi promoti auctoritate Apoſtolica non fuiſſent, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter vel diviſim a prædicta ſit Sede indultum, quod interdici vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter inſertam, hujuſmodi indulti ſeu conceſſionis effectus impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujuſcumque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Dat. Januæ (3) X. Cal. Novemb. Pontificatus noſtri anno ſexto (4).



(3) Hoc ſcilicet anno MCCCLXXVI. Gregorius XI. e Gallia digreſſus, Sedem Pontificiam Italiæ aliquando reddidit. Urbem ille ingreſſus eſt XVII. Jan. anni inſequentis. Ex his vero literis colligimus Genuam illum ante XXIII. Octob. appuliſſe, & aliquandiu in eadem urbe commoratum fuiſſe.

(4) Poſt haſce Gregorii literas in Puricelliano Codice, Abbatis S. Syri literæ proferuntur, quibus Humiliatos Præpoſitos ac Prælatos, qui Sedis Apoſtolicæ beneficio dignitates illas impetraverant, monet, ut Pontificiis juſſis obtemperent. Illis edendis parcimus, quod nihil memoratu dignum contineant.

Privilegium seu Constitutio Bonifacii IX. contra impetrantes beneficia, quam Episcopus Penestrensis mandat.

1390. 3. Aug. Ex Cod. Parlc.

NOs Franciscus miseratione divina Episcopus Penestrensis (*ita: lege*: Prenestensis) S. R. Ecclesiæ Vicecancellarius (1) notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod inter regulas tam per Sanctissimum in Christo Patrem Dominum nostrum, Dominum Bonifacium divina providentia Papam IX., quam per suos prædecessores Summos Pontifices in Cancellaria dictæ Romanæ Ecclesiæ datas, secundum quas litteræ Apostolicæ in eadem Cancellaria debeant expediri, regulæ infrascriptæ reperiuntur, quas ad instantiam dilecti in Domino filii Fr. Petri de Gratiis (2), Præpositi Monasterii S. Marthæ Januensis, præsentibus fecimus annotari; & primo felicis recordationis Joannis Papæ XXII. ec. Regulæ vero inter ipsas repertæ tenor talis est. Item 7. Id. Novemb. Pontificatus sui anno tertio declaravit idem Dominus noster suæ intentionis fuisse & esse, quod quandocumque ipse providet, vel mandat provideri de aliquibus beneficiis Ecclesiasticis manualibus, sed ad nutum revocabilibus sæcularibus vel regu-

(1) Franciscus Moricottus, quem alii Pregnanum dicunt, Urbani VI. sororis filius, ab avunculo S. R. E. Cardinalis, & Prænestinus Episcopus renunciatus. De illo V. Ughell. in Prænestinis Episcopis, & in Pisanis Archiep., & Ciaconium in Urbano VI. In Coletana Ughellii editione, ubi de Prænestinis Episcopis *T. I. col.* 216. dicitur Franciscus obiisse an. MCCCLXXXIII., sed videtur typorum error irrepsisse; ac rectius in Pisanis Archiep. scribit Ughellius, ac sepulcralis lapidis auctoritate confirmat, anno MCCCXCV. illum decessisse.

(2) Forte *de Crassis* legendum, ut idem ille sit Petrus Crassus Cremonensis deinde, ac postea Papiensis Episcopus, de quo egimus Vol. I. pag. 267.

regularibus, cum cura, vel fine cura, per hujufmodi provifiones, vel mandata de providendo, hujufmodi beneficia non cenfeantur perpetua, fed remaneant revocabilia & manualia ficut prius, & impetrantes hujufmodi beneficia removeri & revocari ab illis poffint per eorum Superiores, ad quos id pertinet, ficut potuiffent, fi per Superiores ipfos beneficia ipfa collata fuiffent. In cujus teftimonium præfentes litteras fieri fecimus, noftrique figilli juffimus appenfione muniri. Dat. Reate in domo habitationis noftræ fub anno Domini 1390. Indictione decimatertia, die tertia menfis Augufti, Pontificatus Sanctiffimi in Chrifto Patris, & Domini noftri Domini Bonifacii antedicti divina providentia Papæ noni anno primo.

Bonifacii IX. literæ,
ut liceat Generali Magiftro Fratres mutuæ percuffionis reos a cenfura abfolvere.

1401. 1. Mart. Ex Bibl. Braid.

BOnifacius Epifcopus fervus fervorum Dei dilecto filio Andreæ de Vicecomitibus Generali Magiftro Ordinis Humiliatorum (1) falutem & apoftolicam benedictionem. Benigno funt illa tibi concedenda favore, per que, ficut pie defiderare videris, diverfarum domorum Ordinis Humiliatorum utilitati, ac fratrum & fororum ejufdem ordinis profefforum, ac tuorum nec non earumdem domorum fubditorum animarum faluti falubriter confulatur. Sane ficut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, in iifdem domibus, & earum diftrictibus nonnulli ex eifdem fratribus & fororibus ac fubditis, frater videlicet feu foror in fuperiorem, fuperior in fratrem vel in fororem, frater in fratrem, foror in fororem, fubditus vero quandoque

 in

(1) De Generali hoc Humiliatorum Magiftro diximus Vol. I. pag. 130.

in superiorem , quandoque vero superiores in subditos , manus nonnunquam etiam usque ad sanguinis effusionem iniicere violentas, aliaque nonnulla crimina & excessus committere contingat , propter que irregularitatis macula in diversis excommunicationum , suspensionum , & interdicti sententiis innodantur, eædemque domus diversis erroribus & dispendiis exponuntur , tuque, sicut eadem petitio subiungebat, paterno cupias affectu huiusmodi superiorum, fratrum, & sororum, ac subditorum animarum saluti, & dictarum domorum statui & utilitati consulere, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc paterna providentia curaremus. Nos itaque huiusmodi tuis in hac parte supplicationibus inclinati discretioni tue , de qua in his & in aliis fiduciam in Domino gerimus specialem , tum illos & illas , qui forsan manus iniecerunt , & huiusmodi excessus & crimina commiserunt , quam etiam illos & illas , qui ex eisdem Superioribus , fratribus , sororibus & subditis manus iniicere , & huiusmodi crimina , & excessus committere contingat, ut præfertur, auctoritate apostolica in forma Ecclesie consueta , si hoc humiliter petierint , ab hujusmodi sententiis , excessibus , & delictis , nec non aliis penis & censuris non requirentibus maiorem auctoritatem absolvunt , que supradicta crimina & excessus dumtaxat , quas in eos ab homine vel a iure prolatas propterea incurrerunt , vel incurrere contingat , dummodo iniuriam passis satisfacere voluerint competenter, quotiens expedierit , absolvendi , & cum eisdem superioribus , fratribus & sororibus super irregularitate, in quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium celebrando divina , vel immiscendo se illis contraxerunt, aut contrahere contingat, eisdem superioribus, & fratribus , & sororibus ad tempus , de quo tibi videbitur , a suorum ordinum executione suspensis, dispensando, iniunctis eis prius pro modo culpe penitentia salutari & aliis , que de iure fuerint iniungenda, ac omnem inhabilitatis & infamie maculam

per

per eos premissorum occasione contractam abolendi, plenam & liberam tenore presentium concedimus facultatem. Dat. Rome apud S. Petrum VIII. Id. Martii Pontificatus nostri anno decimotertio.

Sigillum Bonifacii VIII. de more.

Quod Fratres Humiliati possint uti statutis Communis Mediolani.

1407. 10. Mart.
Ex Statut. Mediol. MSS. Bibl. Ambr. Cod. A. 102. in fol. pag. 107.

DUcixa & Dux Mcdiolani &c. (1), papie anglcrieque comitissa & comes, bononie, pisarum, senarum, & pistorii (2) domini. Volentes reverendo in Christo patri Domino andree de vicecomitibus generali ordinis humiliatorum dilecto nostro benigniter complacere, qui nobis cum instantia requisivit, quatenus dignaremur confirmare litteras confirmationis alias per Ill. quondam Dominum consortem & genitorem nostrum memorie recolende concessas memorato ordini humiliatorum in forma hujusmodi, videlicet: Nos Galeaz Vicecomes Comes virtutum mediolani &c. imperialis vicarius generalis (3). Recepimus supplicationem tenoris hujusmodi, videlicet: Magnifice

(1) Joanni Galeatio Vicecomiti superiore an. MCCCCII. e vivis erepto, successerat Joannes Maria filius, in regiminis societatem assumpta Catharina Joannis Galeatii uxore, ac Barnabovis Vicecomitis filia, quæ deinde insequente anno MCCCCIV. arci Modoetiensi inclusa ibidem paullo post obiit.

(2) Legendum forte *Perusii*. Pistoriensis enim urbs non memoratur in Jo. Galeatii tabulis, quibus ditionem suam universam inter filios suos partitur. Enimvero in sequentibus literis *Perusii* non *Pistorii* legimus.

(3) Joan. Galeatius an. tantum MCCCXCV. Dux Mediolani renunciatus est; itaque anno MCCCLXXIX., quo hæ literæ datæ sunt Vicarii Imperialis nomen adhuc obtinebat.

fice & excelfe dominationi veftre notificatur, per felicem recordationem bone memorie magnifici & excelfiffimi genitoris veftri (4) conceffa fuit gratia fpecialis ordini humiliatorum ad inftantiam & petitionem devotiffimi fratris thiberii olim dicti ordinis generalis magiftri, fupplicatione porrecta in tali forma videlicet: Excelfe dominationi veftre humiliter fupplicatur pro parte devotiffimi veftri fratris thiberii ordinis humiliatorum generalis magiftri, quatenus eidem, nec non etiam omnibus prepofitis, prelatis, fratribus, & conventibus ordinis antedicti concedere dignemini, quod in quibufcumque caufis, litibus, & queftionibus, quas habent, vel eos in pofterum habere contigerit in foro fechulari tam agendo, quam defendendo, uti valeant ftatutis & ordinamentis veftri communis Mediolani, omniumque aliarum civitatum & terrarum jurifdictioni veftre fuppofitarum, & item quod ipfi non moleftentur, nec agraventur aliquam preftare fatifdationem plus nec ultra quam teneantur alii laici veftre jurifdictioni fuppofiti, ut equalitas fervetur in judiciis, & ut parcatur fumptibus, laboribus, & expenfis, qui & quas ipfa occaxione dicti fupplicantes fuftinent in inftrumentis. Refponfio dicti magnifici & excelfi genitoris veftri 1363. anno, die decimo feptimo Nov. Concedimus domino predicto magiftro fupplicanti pro (*deeft forte* fe) & predictis, pro quibus fupplicat, quod in quibufcumque caufis, litibus, & queftionibus, quas habent, vel eos habere contigerit in futurum in foro fechulari tam agendo, quam defendendo, uti poffint ftatutis noftri communis Mediolani, & omnium aliarum terrarum noftro domino fuppofitarum; & e converfo volumus & definimus, quod dictis ftatutis & ordinamentis uti valleat contra eos, ficut & quemadmodum fechulares exifterent. Scripta & extracta a regiftro litterarum predicti magnifici domini genitoris per tadeum de caimis notarium ad can-

(4) Galeatius indicatur Joannis Galeatii pater, anno MCCCLXXVIII. vita functus.

canzellariam: modo & fimili forma fupplicatur predičte magnifice & excelfe dominationi veftre pro parte fratris chriftofori fepedičti ordinis generalis magiftri humiliter, & facre theologie profefforis, quatenus eidem de omnibus predičtis fuperius nominatis & contentis in dičta fupplicatione dignetur concedere. Quare volentes magiftro ordinis predičti complacere, tenore prefentium de predičtis fačtam fibi per bone memorie magnificum dominum genitorem noftrum confirmamus, volentes, quod ea que in dičta conceffione continentur per omnes, ad quos fpečtat, obferventur. In quorum teftimonium prefentes fieri juffimus, & regiftrari, noftrique figilli munimine roborari. Dat. Papie die tertio Martii 1379. fecunda Indičtione. Andreolus. Prefentium tenore fuprafcriptas litteras confirmamus, mandantes quibufcumque poteftatibus, capitaneis, vicariis, jufdicentibus, & offitialibus noftris, ad quos prefentes devenerint, & fpečtabit executio contentorum, quatenus litteras, de quibus fit mentio, prout jacent, obfervent, & faciant inviolabiliter obfervari. In quorum teftimonium prefentes fieri juffimus, noftrique figilli appenfione muniri. Dat. Mediolani die 20. Martii 1403. undecima Indičtione; & quatriplicata (5), XII. April. 1403. Indičtione XI. Thomas.



Exti-

(5) *Quatriplicata* idem videtur ac quarto confirmata.

Extimi pro renovatione Triginta Civium in domo Fratrum Brayde occupatorum cause in suspenso teneantur.

1403. 16. Jun.
Ex Reg. Lit. Duc. in Arch. Civ. Med. n. 3. fol. 117.

DUcissa & Dux Mediolani &c. Papie, Anglerieque Comitissa, & Comes Anglerie ac Bononie, Pisarum, Senarum, & Perusii Domini (1).

Scripsit nobis Dominus Augustinus de Pezanis Deputatus super renovatione Extimi (2) Civitatis nostre Mediolani in forma presentibus introserta. Quare volumus quod causas, & questiones illorum Triginta Civium, qui ob dicti Extimi compartitionem detenti sunt, etiam si sententia lata esset in contumaziam alicujus predictorum detentorum, neenon super facto Cridarum pro bonis alienandis, de quibus in eisdem literis fit mentio, & etiam questiones in quibus dicti Triginta seu aliquis eorum sint Comissarii, sive Arbitri & Arbitratores, in suspenso teneatis, & teneri faciatis, quas etiam nos ex nunc suspendimus a die detentionis in antea usque fuerint licentiati, & relaxati, providendo, quod in tempore ipso & per tres dies post in questionibus predictis nullus currat nec curisse potuerit tempus, terminus, nec instanzia, decernentes etiam & volentes quod durante termino predicto nulla lis, questio, causa sive controversia mo-

(1) V. Literas superius editas. Has porro quamvis non alia ratione ad Humiliatos pertineant, quam quod Braidensis domus in iis commemoratur, ideo tamen edendas illas censuimus, ut nobilium familiarum, quæ hic recensentur, memoria illustraretur.

(2) De Censu hoc anno Mediolani peracto Mediolanenses historici, quod sciam, non meminerunt. Itaque illius notitiam monumento hoc nostro debemus.

moveri valeat contra prenominatos Triginta Cives, nec aliquos eorumdem. Dat. Mediolani die XVI. Junii MCCCCIII. Thomaxius. *A tergo:* Nobili & Sapien. Viro Vicario Provix. Comunis nostri Mediolani.

Copia. Dominis Ducisse & Duci Mediolani.

Serenissimi ac Excellentissimi Principes & Domini nostri. Celsitudinibus vestris notiffico, quod de presenti deputatus fuerim per prelibatas Dominationes vestras pro Officialli super Renovatione & perfectione Extimorum Civitatis Mediolani & Ducatus, alias per me incoatorum, & quod pro compartitione extimi Porte Nove predicte Civitatis occupatos teneo ac detemptos Triginta Cives & Incolas dicte vestre Civitatis secundum Ordines, & Capitula Civitatis jamdicte, habeantque quamplures ex ipsis litigia & questiones, quibus intendere non possunt dicta de causa, fiantque etiam dietim proclamationes de bonis debitorum suorum, quibus proclamationibus opponere non possunt secundum ordines Statutorum & Provixionum dicte Civitatis, fintque etiam quamplures ipsorum Arbitri & Arbitratores in diversis questionibus, quibus etiam minime intendere possunt, habeantque necesse procedere ad ellectionem aliorum pro Porta Cumana, Porta Romana, & Porta Ticinensi. Quapropter dignemini per vestras Litteras mandare, quod durante dicta compartitione, dicta litigia & questiones sint suspensa & suspense & in suspenso permaneant, incipiendo a die XXVI. mensis Maji proxime preteriti, qua incepti fuerunt occupari & detineri, in antea, ac etiam mandare & ordinare, quod nullum tempus curisse intelligatur a dicto die in antea, nec currat ipsis, nec alicui ipsorum ut supra in proclamationibus factis & fiendis, & etiam arbitriis & arbitramentis in ipsos vel aliquem ipsorum factis, & quod idem servetur aliis elligendis pro aliis Portis, dum & quando inclusi erunt pro Extimi compartione aliarum Portarum predictarum, vel aliter providere, prout prelibatis Serenissimis Do-

minationibus melius convenire videbitur. Dat. Mediolani die IIII. Junii MCCCCIIII. (3).

Earumdem Dominationum Servitor Augustinus de Pezanis Doctor utriusque Juris.

In Domo Fratrum Brayde.

Francischolus Surdus, Maffiolus de Dugnano, Antonius de Solario, Porinus Grasselus, Aymus de Comite, Maffiolus de Carsenzago, Antonius de Ferrariis, Antonius de Trivilio, Antonius de Rotoris, Johannes Cominus, Porinus de Medicis, Franzinus de Brippio, Aluisius Bilia, Marchus de Cassate, Jacobus Aliprandus, Jacobus de Herba, Johanolus Lignazius, Jacobus de Paniziis, Currolus de Gluxiano, Fatiolus de Archinti, Raynaldus de Concorezio, Jacobus Gafforius, Jacobus de Bononia, Marcholus de Pontirolo, Antonius de Gallarate, Ambrosius de Melzio, Georginus de Vicomercato, Jacobinus de Vedegono, Gullielmus de Paziis, Jacomolus Aycardus.

(3) Ita in Codice MS. Sed legendum esse *an.* 1403. constat ex Serie Literarum, quæ in ipso Codice continentur; omnes enim, quæcumque has aut præcedunt, aut proxime sequuntur, ad an. 1403. pertinent.



Unio domus Humiliatorum in Burgo Merate cum Monasterio S. Catharinæ Mediolani.

1406. 10. Jul. Ex Cod. Puric.

FRater Andreas Vicecomes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ordinis Humiliatorum Generalis Magister. Rationi congruit & honestati, ut ea quæ in tangentibus Statum dicti Ordinis rationabiliter processerunt, nostræ etiam auctoritatis præsidio muniantur. Hinc est, quod ad nostram notitiam fuit deductum,

ductum, anno Domini 1394. die 26. Octobris tertia Indictione (1) quondam bonæ mem. Magistrum Christophorum, tunc ordinis prædicti Generalem Magistrum fecisse & celebrasse quamdam unionem, annexionem, & incorporationem de domo nostra & de conventu Humiliatorum burgi de Merate Mediolanen. diec. dicti Ordinis tunc carente Humiliatis, situata in dicto burgo de Merate, domui nostræ & conventui nostro de Blassono Mediolani (2) ordinis antedicti, cum omni onere & honore, omnibusque bonis, rebus, actionibus, & juribus quibuscumque eisdem domui & Conventui de Merate spectantibus & pertinentibus, & quæ spectare & pertinere possent in futurum, & prout in instrumento ipsius unionis, annexionis, & incorporationis tradito, scripto, & subscripto anno, die, & Indictione suprascriptis per Gasparem de Rhaude Mediolani Notarium, sigillique prænominati quondam Magistri Christophori appensione munito plenius continetur; & supplicatum pro parte dictarum Humiliatarum sororum nostrarum de Blassono Mediolani fuit humiliter, quatenus hujusmodi unionem, annexionem, & incorporationem confirmare & nostro præsidio corroborare ad cautelam & majorem firmitatem dignaremur. Nos itaque attendentes dictam unionem, annexionem, & incorporationem per antedictum quondam Magistrum Christophorum prædecessorem nostrum juste ac rite factam extitisse, ex certa scientia, & causa cognita, omni via, jure, & forma, quibus melius possumus, eam approbamus, & eam auctoritate nostra tenore præsentium confirmamus, ipsamque valere volumus, & inviolabiliter observari. In quarum testimonium

 præ-

(1) Videmus hinc Constantinopolitanam Indictionem, quæ a Kal. Septemb. initium ducit, adhuc apud Mediolanenses usurpatam. Nam anno MCCCXCIV. secunda Indictio congruit; sed apud Mediolanenses a Kal. Septemb. tertia numerari inceperat.

(2) Idem est Cœnobium, quod nunc S. Catharinæ Braidensis nomine appellatur.

præsentes regiſtratas noſtri ſigilli magni duximus robore muniendas. Dat. Mediolani in domo noſtra Braydæ anno Domini 1406. 20. Julii decimaquarta Indictione.

Privilegium Petri Cardinalis Legati, ac Mediolanenſis Eccleſiæ Adminiſtratoris, quo confirmat unionem factam Monaſterii de Nova cum Monaſterio de Blaſſono.

1406. 11. Oct. Ex Cod. Puric.

PEtrus miſeratione Divina Baſilicæ XII. Apoſtolorum S. R. E. Presbyter Cardinalis, ac in Provinciis Aquileienſi, Gradenſi, Mediolanenſi, & Janucnſi Apoſtolicæ Sedis Legatus (1), univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam. Litteras SS. in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Innocentii divina providentia Papæ VII. cum cordula canapis ipſius Domini noſtri Papæ vera bulla plumbea more ſolito Romanæ curiæ bullatas, non vitiatas, non cancellatas, non abo-

(1) Petrus Philargus Ord. Minor. Cretenſis patria, ut communior fert Scriptorum opinio, primo an. MCCCLXXXVI. Placentinus, tum an. MCCCLXXXVIII. Vicentinus, eodemque anno Novarienſis Epiſcopus renunciatus eſt. Anno deinde MCCCCII. ad Mediolanenſem Sedem translatus; anno MCCCCV. S. R. E. Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum; ac denique in Piſana Synodo anno MCCCCIX. XXVI. Jun. Pontifex Maximus juſſus, Alexandri V. nomine aſſumpto. Plura de illo Cl. Saxius *Ser. Archiep. Mediol. T. III pag.* 836., ubi tamen Gradenſem etiam Patriarcham fuiſſe Petrum falſo dicit. Ughellius etiam emendandus qui, *Ital. Sacr. T. V. in Epiſc. Vicent.* Petrum a Vicentina ad Placentinam Sedem translatum narrat, cum & reliqui auctores, & Ughellius ipſe alibi Placentinas primo tum Vicentinas illi infulas collatas dicant. Legationes a Petro obitas, quas hic recenſeri videmus, commemorat etiam Saxius pag. 840. Sed hoc non animadvertit Cl. auctor, quod ex hoc monumento diſcimus, Petrum non Mediolanenſem Archiepiſcopum, ſed Eccleſiæ hujuſce adminiſtratorem per hoc tempus dictum fuiſſe, verum hac de re ſermo iterum occurret in annot. 3.

abolitas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, nobis pro parte Dominarum Magistræ, Sororum, & Conventus Monasterii S. Catharinæ de Blassono Ordinis Humiliatorum Mediolani præsentatas, cum ea, qua decuit, reverentia suscepimus, quarum litterarum tenor talis est: *Innocentius dilecto filio Petro Basilicæ XII. Apostolorum Presbytero Cardinali, Administratori in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Mediolanensis per Sedem Apostolicam deputato, salutem & Apostolicam benedictionem. Circa cunctorum fidelium, præsertim religiosarum personarum, statum salubriter dirigendum libenter intendimus, & eis, per quæ ipsarum personarum necessitatibus consulitur, quantum cum Deo possumus, favorem benevolum impertimur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Magistræ, & Conventus Monasterii S. Catharinæ de Blassono Mediolanensis Ordinis Humiliatorum petitio continebat, quod cum olim causantibus partialitatibus, & guerris, & aliis malis dispositionibus illarum partium, Monasterium S. Catharinæ de Nova Ordinis S. Augustini Mediolanen. dioc.* (1) *omnibus bonis mobilibus etiam pretiosis spoliatum, ejusque ædificia diruta existerent, nec non possessiones, & terræ remansissent & remanerent incultæ, ac dilecta in Christo filia Savina Magistra, & Conventus ipsius Monasterii de Nova, quod etiam per Magistram consueverat gubernari, in duobus annis tum præteritis non potuisset, neque posset ex bonis ipsius Monasterii de Nova aliquos fructus pro earum sustentatione colligere, nec in ipso Monasterio de Nova remanere; sed necessitate compulsæ idem Monasterium de Nova derelinquentes ad præfatum Monasterium de Blassono confugissent, in eo vitæ necessaria, quæ ipsis inibi, prout melius fieri potuit, ministrata fuerunt, & ministrabantur, recipiendo, tandem præfatis Magistris & Conventibus considerantibus, quod etiam patria illa*

(1) Hujusce Augustinianarum Virginum Cœnobii nulla, quod sciam, apud Mediolanenses Historicos mentio occurrit; illudque extitisse ex hoc unice monumento cognoscimus.

illa ad meliores dispositiones, ac pacis tranquillitatem reducta, adhuc facultates ipsius Monasterii de Nova pro reparatione aedificiorum, & reductione possessionum & terrarum hujusmodi ad culturam nullatenus sufficerent; & quod, si dictum Monasterium de Nova cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis suis praefato Monasterio de Blassono uniretur, & ad ejus proprietatem reduceretur, & unicus Conventus fieret de utroque, procul dubio per ipsarum Magistrae & Conventus de Blassono industriam, suffragium, & facultates praefatae possessiones & terrae possent successive ad culturam reduci ita, quod in eis bona quantitas fructuum pro utriusque dictorum Monasteriorum, Monialium, & personarum sustentatione, & onerum eis incumbentium supportatione perciperetur, dilectus filius Andreas de Vicecomitibus Magister Generalis dicti Ordinis Humiliatorum, & Franciscus de Crepa tuus in Civitate & Dioc. Mediolanen. in spiritualibus Vicarius (3), *ad quos praedictae Magistrae & Conventus*

(3) Franciscus de Creppa ejusdem, ac Petrus Philargus, Minorum familiae, Generalis ab illo Vicarius renunciatus est. Placet hic Petri literas proferre, quibus dignitatem hanc Francisco confirmat, quas in Puricellianis schedis nacti sumus. *Petrus miseratione Divina Basilicae XII. Apostolorum Presbiter Cardinalis, & Ecclesiae & Archiepiscopatus Mediolanensis Commendatarius, Venerabili viro Domino Fr. Francisco de Creppa Ordinis Minorum S. Paginae professori, nostro in spiritualibus Vicario Generali salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Innocentius divina providentia Sacrosanctae Romanae Ecclesiae dignissimus Pontifex, nuper nos ad Sacri Cardinalatus honorem assumpserit, nobisque Ecclesiam & Archiepiscopatum Mediolanensem sponte atque liberaliter commendaverit, ut per hujusmodi Commendae bullas Apostolicas evidentius demonstratur; ea propter cupientes eamdem Ecclesiam Mediolanensem & Archiepiscopatum hujusmodi per salubre regimen feliciter gubernari, considerantesque sufficientiam & virtutes multiplices, quibus ad id plurimum vos idoneum nobis redditis & acceptum, attendentes insuper vestrae fidei sinceritatem, & gesta laudabiliter hactenus per vos, quamdiu nos dictae Mediolanensi Ecclesiae praefuimus in pastorem; quo tempore vos semper habuimus in Vicarium Generalem, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa, & sperantes, quod ea, quae vestrae industriae committimus, curabitis laudabiliter adimplere, vos, citra revocationem aliarum commissionum, per nos circumspectioni vestrae factarum, nostrum & Ecclesiae Mediolanensis Vicarium ge-*

ventus super his habuere recursum, ad earumdem Magistrarum & Conventuum humilem & debitam requisitionem, informatione diligenti, ac pluribus deliberationibus ac tractatibus per eos super his probabitis, accedentibus etiam ad hoc dilectorum filiorum Capituli Mediolanensis consilio & assensu, præfatum Monasterium de Nova, ejusque Conventum, & personas cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis suis, recepta prius & admissa per eumdem Vicarium omnis regiminis & administrationis ejusdem Monasterii de Nova libera resignatione, propter hæc per dictam Magistram Savinam in manibus ejusdem Vicarii sponte & libere facta, præfato Monasterio de Blassono, omni modo, via, auctoritate, jure, & formis, quibus melius potuerant, incorporaverunt, & etiam univerunt, ita quod de cetero inter se unicum facerent Conventum, & omnia bona, res, actiones, & jura quæcumque ad ipsum Monasterium de Nova spectantia, ubicumque consisterent, ejusdem Monasterii

---

neralem iterato de novo tenore præsentium constituimus, facimus, & creamus &c. Dat. Romæ an. 1405. 20. Junii Pontificatus Innocentii VII. anno primo. Porro Franciscus hic idem Petro Philargo in Mediolanensi Archiepiscopatu successit, de quo diximus Vol. I. pag. 232. Sed nonnulla hujusce monumenti verba diligentius investiganda sunt. Ait scillicet Petrus, Ecclesiam Mediolanensem sibi ab Innocentio *sponte & liberaliter commendatam*, postquam scilicet illum Romana purpura donavit, quod an. MCCCCV. contigit. Atqui profecto jam ab anno MCCCCII. Mediolanensi Ecclesiæ Petrus præerat. Quid? quod hoc ipsum Petrus idem testatur sequentibus verbis, quibus ait Francisci de Creppa fidem ac prudentiam sibi optime perspectam fuisse, *quamdiu eidem Ecclesiæ præfuimus in Pastorem, quo tempore vos semper habuimus in Vicarium Generalem.* Patet igitur duo hic tempora a Petro distingui; alterum quo ipse Mediolanensis Archiepiscopus fuerat; scilicet ab anno MCCCCII. ad an. MCCCCV., quo anno Cardinalis ab Innocentio renunciatus est; alterum, quo Mediolanensis Ecclesiæ Commendatarius fuit, postquam Romanam purpuram induit. Enimvero in ipso monumento an. MCCCCVI., quod hic illustramus, videmus Petrum nusquam se Mediolanensem Archiepiscopum dicere; eumdem vero ab Innocentio non Mediolanensem Archiepiscopum, sed *Administratorem in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ Mediolanensis.* Qui vero factum sit, ut primo Mediolanensis Archiepiscopus Petrus jussus fuerit, deinde vero, postquam Romana illi purpura collata fuit, Ecclesiæ ejusdem Commendatarius dictus, divinare non ausim.

sterii de Blassono nuncuparentur, & essent, & perpetuo remanerent, subiiciendo ex tunc ipsum Monasterium de Nova, ejusque personas & Conventum in perpetuum obedientiæ Magistræ pro tempore existentis, & Conventui ipsius Monasterii de Blassono; ac decernendo quod ex tunc singulæ Moniales dicti Monasterii de Nova, quæ cum dicta Savina tantum tres numero erant, vocem haberent in Conventu ipsius Monasterii de Blassono, prout aliæ Monachæ Professæ habebant in eodem; quodque ipsæ Magistra & Conventus Monasterii de Blassono de quibuscumque licitis debitis, ad quæ dictum Monasterium de Nova obligabatur, satisfacere, Episcopo jura solvere, & alia eidem Monasterio de Nova pro tempore incumbentia onera supportare, teneretur, prout in instrumentis publicis inde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, præfatæ Magistra & Conventus Monasterii de Blassono timeant, prædictos Magistrum & Vicarium ad præmissa auctoritatem non habuisse sufficientem, & alios defectus etiam forsan intervenisse in præmissis, pro parte earumdem Magistræ & Conventus de Blassono nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, & qui ad præsens in partibus Lombardiæ residere dignosceris, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus de præmissis & eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi tibi videbitur hoc fieri debere, incorporationem, annexionem, & unionem, & alia præmissa eadem auctoritate confirmes, supplens prædictos, & alios quoscumque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Jul. Pontificatus nostri anno secundo. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem, ut præmittitur, nobis factam, cum fuissemus pro parte dictarum DD. Magistræ, Sororum, & Conventus suprascripti Monasterii de Blassono cum instantia debita requisiti, ut ad executionem dictarum litterarum

Apo-

Apoſtolicarum procedere deberemus juxta ipſarum continentiam & tenorem. Nos igitur volentes mandatum Apoſtolicum nobis, ut præmittitur, in hac parte directum, ut tenebamur, & tenemur, exequi reverenter, de contentis in dictis litteris Apoſtolicis, & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, ut ſuperius eſt præmiſſum, & qua fungebamur, & fungimur in hac parte, informationem diligenter recepimus, & quia per informationem hujuſmodi nobis videtur hoc fieri debere, & iterato per Syndicum dicto nomine cum inſtantia requiſiti, ut dictum mandatum Apoſtolicum, juxta ipſius continentiam & tenorem, exequi ulterius dignaremur, dicta auctoritate Apoſtolica, & alias omni modo, via, jure, ac forma, quibus melius poſſumus, prædictam incorporationem, annexionem, & unionem hujuſmodi, & alia præmiſſa confirmamus, ſupplentes auctoritate Apoſtolica prædictos, & alios quoſcumque defectus, ſi qui forte intervenerint in eiſdem. In quorum teſtimonium præſentes litteras fieri fecimus, & ſigilli noſtri, quo utimur vigore Apoſtolicæ Legationis, appenſione muniri. Datum & actum in Curia, in qua ad præſens reſidemus, juxta Campum Sanctum Eccleſiæ Mediolanenſis (4) ſub anno Nativitatis Domini 1405. die 22. menſis Octobris, 15. indictione ſecundum conſuetudinem civitatis & dioc. Mediolanen. (5) Pontificatus prænominati SS. in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Innocentii divina providentia Papæ VII. anno ſecundo.

Ego Job de Teſtis filius qu. D. Simonis Civis Mediolanen. publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius, præfatique Reve-

(4) Campi ſancti nomine appellatur locus poſticæ Metropolitani templi parti adjacens, cujus vocis etymon inde aliqui ducunt, quod ibi olim eſſet Metropolitanum S. Mariæ Hiemalis templum, anno MCCCLXXXVI. exciſum, ut novum regia Joannis Galeatii Vicecomitis magnificentia templum ædificaretur.

(5) Hic etiam videmus Conſtantinopolitanam Indictionem uſurpari; nam anno MCCCCVI. XIV. Indictio congruebat.

Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Petri Cardinalis Apostolici Legati secretarius, præmissis, dum agerentur interfui, & inde præsentes litteras mandato prælibati Reverendissimi Domini Cardinalis subscripsi, sui Pontificalis sigilli appensione munitas in fidem & testimonium omnium præmissorum.

Nicolai Delphini Sacilensis Prætoris ad Franciscum de Panceriis Epistola.

1417. 10. Maji Ex Tabul. Sacilens.

NObili & egregio viro Domino Francischino de Panceriis de Fopola Honorando Amico suo Carissimo.

Nobilis & Egregie Amice Honorande. Quia elligimus in Plebanum nostrum videlicet Ecclesie Sancti Nicolai de Sacillo Dominum Presbiterum Johannem condam M.ri Bartholamei de Coneglano, & velit recipere investituram a Sanctissima Sede Apostolica, ea propter vestram nobilem & Egregiam Amicitiam deprecamur, quod eidem placeat esse & instare cum Reverendissimo in Christo patre & Domino Domino Antonio Dei & Apostoliee Sedis gratia Cardinali Aquilegiensi fratre vestro (1), & ipsum deprecari, quod velit instare cum presata Sancta Sede Apostolica, quod dictus Dominus Presbiter Joannes habeat bullas Apostolicas dicti Plebanatus. Vobis notificamus quod quidquid pro dictis bullis expendetis, Comunitas ista integraliter vobis solvet. Insuper vobis notificamus, quod ista Plebania est parvi valoris & in-

(1) Antonius, quem Ughellius in Patriarchis Aquilejens. Panciarinum, Ciaconius vero in Joanne XXIII. Pancerinum, seu Panciarinum vocat, sed, ut ex hoc monumento constat, de Panceriis appellandus est, Aquilejensem Patriarchatum obtinuit an. MCCCCII. Mox a Gregorio XII. dignitate illa spoliatus, a Joanne deinde XXIII. in eamdem restitutus fuit, ac Romana simul purpura ornatus. Obiit anno MCCCCXXXI. V. Auctores superius memoratos.

& introitus. Insuper vos deprecamur, quod vobis placeat instare pro prelibato Domino fratre vestro, quod obtinere velit a prefata Sanctissima Sede Apostolica, quod dignetur committere Domino Episcopo Cenetensi, aut Domino Episcopo Concordiensi, quod veniat ad reconciliandum (2) Ecclesias Sancti Nicolai & suas Capellas, Ecclesiam Sancti Gregorii, Ecclesiam Sancti Antonii, Ecclesiam Sancte Marie Ordinis Humiliatorum (3), Ecclesiam Sancte Catarine, & generaliter omnes Ecclesias subpositas dicto plebanatui Sacili, & quidquid dicta occaxione expendetis, Comunitas ista vobis solvet, si qua pro vobis parati &c.

Nicolaus Delphino Potestas & Capitaneus & Consilium Sacili. Uti die x. Maji 1427.

(2) *Reconciliare* hoc loco non eo sensu intelligendum arbitror, quo utimur, cum Ecclesia scelere aliquo polluta expiatur; sed ita, ut novam Ecclesiæ instauratæ benedictionem significet; quo sensu sumi hanc vocem interdum constat ex Cangii Glossario *Tom. V. col. 1121. Edit. Ven. 1739.*

(3) Hæ voces in caussa fuerunt, cur hoc monumentum Collectioni nostræ insereremus, ut inde constaret Sacilensem Humiliatorum domum ad hæc usque tempora superfuisse. V. Vol. II. pag. 91.



Martini V. Literæ pro Braidensibus Humiliatis.

1427. 30. Maji Ex Tabul. Coll. Braid.

MArtinus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Abbati Monasterii Sancti Simpliciani extra muros Mediolanen. salutem & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis modernus prepositus & fratres domus beate Marie Brayde nuncupate Mediolan. ordinis humiliatorum, quod Prior & Conventus Monasterii beate Marie de Badagio Montis Oliveti (1) nun-

(1) Badagii, vulgo *Baggio*, jam ab anno MCCCC. pedem fixerant Olivetanæ Congregationis Monachi, teste Saxio *Ser. Archiep. Mediol. Tom. III. pag. 961.*

nuncupati per priorem foliti gubernari ordinis S. Benedicti Mediol. dioc. fuper quibufdam agris, terris, domibus, vineis, pratis, pafcuis, poffeffionibus, aqueductibus in dicta dioc. confiftentibus & rebus aliis ad ipfam domum fpectantibus injuriantur eifdem. Ideoque difcretioni tue per apoftolica fcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propofitis, quod juftum fuerit, appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per cenfuram ecclefiafticam firmiter obfervari. Teftes autem qui fuerint nominati, fi fe gratia, odio, vel timore fubtraxerint, cenfura fimili appellatione ceffante compellas veritati teftimonium perhibere. Non obftante fi eidem Ordini S. Benedicti a Sede Apoftolica fit indultum, quod perfone ipfius ordinis ad judicium trahi, aut fufpendi, feu excommunicari, feu ipfe aut dicti ordinis loca interdici non poffint per litteras apoftolicas non facientes plenam & expreffam ac de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem, & qualibet alia dicte fedis indulgentia generali vel fpeciali cujufcumque tenoris exiftat, per quam prefentibus non expreffam vel totaliter non infertam tue jurifdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quo ad hoc nolumus ipfis aliquatenus fuffragari. Dat. Rome apud Sanctos Apoftolos III. Kal. Jun. Pontificatus noftri anno decimo.

Sigillum Martini V. de more.

Eugenii IV. Literæ, quibus Glaxiatenfe Mediol. Cœnobium Ord. Humil. Monachis Congr. Unitatis, feu Cafinenfis Ord. S. Benedicti concedit.

1433. Nov. Aug.

Editæ funt cum compluribus aliis monumentis huc pertinentibus a Puccinello in Chronico Glaxiatenfi.

Eu-

Eugenii IV. literæ ad Præpositum Braidensem pro Mediolanensibus Cruciferis.

1435. 1. Maji Ex Bibl. Braid.

EUgenius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Præposito S. Marie Braide Mediolanen. per prepositum soliti gubernari, salutem & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis prior & fratres domus S. Marie, alias S. Crucis Mediolanen. Ordinis Cruciferorum (1), quod Cherubinus & Antonius fratres dicti de Fossano cives Mediolanenses super quibusdam immobilibus in civitate & dioc. Mediolanen. consistentibus, ac mobilibus bonis frumenti, bladorum quantitatibus, pecuniarum summis, & rebus aliis ad dictam domum spectantibus injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Florentie (2) anno Incarnationis Dominice 1435. Kal. Maji Pontificatus nostri anno quinto.

Eu-

(1) Exstat adhuc Mediolani non longe ab Eustorgiana Basilica S. Crucis ædes, olim Cruciferorum sedes, nunc commendata.

(2) In hanc urbem jam a superiore anno Romanorum seditionibus compulsus secesserat Eugenius.

Eugenius IV. Sacilensem Humiliatorum Ecclesiam Augustinianis Eremitis concedit.

1442. 12. Jan. Ex Tabul. Sacilens.

EUgenius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Concordiensi (1) salutem & Apostolicam Benedictionem. Pia Deo & Ecclesie devotorum desideria, quod (*forte* que) divini cultus augmentum, & sacre Religionis propagationem, & animarum salutem respiciunt, & per que etiam persone ecclesiastice a dispendiis relevantur, libenter Apostolico favore prosequimur, eisque assensum benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Universitatis & Hominum Opidi Sacili Aquileg. Diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum in dicto Opido, in quo populus habitat numerosus, nulla Religiosorum Mendicantium domus fore noscatur, ipsi Universitas & Homines ad Ordinem fratrum Heremitarum S. Augustini singularis devotionis affectum gerentes, utpote qui novissimis temporibus ex laudabilibus dilecti filii Johannis de Rubinis de Venetiis ejusdem Ordinis Professoris predicationibus & exemplis frugem spirituali alimoniæ gratissimam acceperunt, si Ecclesia sine cura S. Marie de Angelis extra muros dicti oppidi, que tecto carens passim ad ruinam tendit, & licet antiquitus secundum quosdam per Fratres Ordinis Humiliatorum gubernata fuerit, tamen a tempore, cujus contrarii memoria non existit, per seculares Clericos gubernari consuevit (2), Ordini Heremitarum S. Augustini hujusmodi per Sedem Apostolicam perpetuo applicetur,

(1) Daniel Scottus, Tarvisinus, Eugenii IV. sororis filius, Concordiensi Ecclesiæ tunc præerat.

(2) Vidimus tamen Moniales Ord. Humiliat. saltem ad an. usque MCCCCXXVII. Ecclesiam hanc tenuisse. Itaque hæc videntur exaggerate dicta.

cetur, & assignetur, juxta illam de bonis sibi adeo collatis una domu pro usu & habitatione perpetua Fratrum Heremitarum predictorum, qui Altissimo debitum exhibeant famulatum, fundari, construi, & edificari facere pro salute animarum suarum desiderant. Quodque ad hujusmodi fundationis, constructionis, & edificationis finem & effectum dilectus filius Amedeus de Tarvisio ipsius Ecclesie rector illam, quam obtinet, sponte & libere resignare proponit. Quare pro parte Universitatis & Hominum prædictorum asserentium, quod fructus, redditus, & proventus dicte Ecclesie triginta Florenorum auri de Camera secundam communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut præfatam Ecclesiam de Angelis Ordini Heremitarum S. Augustini hujusmodi perpetuo applicare, & assignare, ipsique Universitati & Hominibus de bonis predictis juxta eamdem Ecclesiam de Angelis domum predictam eum claustro, dormitorio, & si dicta Ecclesia hiis careat, Campanile, Campana, Cimiterio, & aliis necessariis officiis pro usu & habitatione predicti fundari, construi, & edificari faciendi; nec non Fratribus Ordinis S. Augustini hujusmodi Ecclesiam de Angelis, postquam resignata, & domum postquam fundata, constructa, edificata fuerit, ut premittitur, antedictas pro eisdem usu & habitatione recipiendi ac perpetuo retinendi licentiam concedere; ac alias super hiis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, ut ubilibet cultum divinum adaugeri, & Religionem huiusmodi nostris potissime temporibus intensis desideriis affectamus, volentes prefatum Amedeum, ne propter resignationem huiusmodi..... illam fecerit, nimium dispendium patiatur, favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue, de cuius diocesi dicta Ecclesia de Angelis esse dicitur, per Apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra

te

te diligenter informes, & si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, a prefato Amedeo, vel a procuratore suo ad hoc specialiter constituto resignationem huiusmodi, si eam in tuis manibus sponte & libere facere voluerit, ut prefertur, hac vice dumtaxat auctoritate predicta recipias & admittas; eaque per te recepta & admissa Ecclesiam de Angelis predictam per resignationem huiusmodi tunc vacantem, dummodo tempore dati presentium non sit in ea tantummodo jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis Ordini Heremitarum S. Augustini huiusmodi eadem auctoritate in perpetuum applices & assignes. Nec non eidem Universitati & Hominibus de bonis prefatis domum eum claustro, & aliis officiis hujusmodi pro usu & habitatione predictis juxta eamdem Ecclesiam de Angelis fundari, construi, & edificari faciendi, ipsisque fratribus Ordinis S. Augustini Ecclesiam, postquam resignata cum omnibus juribus & pertinentiis suis, & domum, postquam fundata, constructa, & edificata fuerit huiusmodi, pro eisdem usu & habitatione recipiendi, & retinendi, ut prefertur, cuiuscumque alterius super hoc licentia & assensu minime requisitis; jure tamen Parrochialis Ecclesie, & cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, auctoritate prefata licentiam largiaris, dictoque Amedeo super fructibus, redditibus, & proventibus predictis annuam decem Florenorum similium Pensionem sibi, quoad vixerit, vel Procuratori suo legitimo pro parte Fratrum Ordinis S. Augustini, qui in domo degerint hujusmodi, annis singulis in loco & termino per te de ipsorum Amedei & Fratrum consensu ad hoc statuendis persolvendam eadem auctoritate reserves, constituas, concedas pariter, & assignes; inducens per te, vel alium, seu alios, eosdem Fratres Ordinis S. Augustini, vel Procuratorem suum eorum nomine in corporalem possessionem Ecclesie de Angelis, jurium, & pertinentiarum predictorum, & defendas inductos amoto exinde quolibet illicito detentore &c.

Datum

Datum Florentie (3) anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo pridie Idus Januarii, Pontificatus nostri anno duodecimo.

(3) Florentinæ Synodi Patres una cum Eugenio adhuc Florentiæ coacti erant; nec inde Eugenius nisi insequente anno discessit.



Domus S. Marci Casalensis cum domo S. Bartholomæi ejusdem Oppidi conjunctio.

1443. 17. Jul. Ex Tabul. Casalens.

FRater Stefanus de Arsago Dei, & Apostolicæ Sedis gratia totius Ordinis Humiliatorum Generalis Magister. Pastoralis officii, cui licet immeriti, disponente Dño presidemus, Nos cura solicitat, ut domibus seu Monasteriis regiminis nostri curæ commissis, quæ suis destitute vigiliis periculorum incommoda deplorare noscantur, talia prestentur remedia, per quorum regimen in spiritualibus, & temporalibus utiliter valeant gubernari. Sane cum Monasterium Humiliatarum Sancti Marci Terræ Casalis (1) Ordinis nostri, quod per Ministram, & Humiliatas ejusdem Ordinis gubernari solebat, & in ordine fructus uberrimos producere, a nonnullis temporibus citra plurimum declinaverit, itaut in eo regularis observantia totaliter negligatur, & redditus Monasterii Sancti Bartholomæi Terræ prædictæ observantiæ regularis ejusdem Ordinis ad sustentationem Ministræ, & Religiosarum in eo degentium non sufficiant. Nos indemnitati prædicti Monasterii Sancti Marci providere volentes, ac necessitatibus Ministræ, & Humiliatarum Sancti Bartholomæi præ-

(1) Casalensibus nondum fuerat Episcopus datus, quod anno tantum MCCCCLXXIV. contigisse Ughellius refert *Ital. Sacr. T. IV. in Casalens. Episc.*

dictarum fuccurrere, ut quietius valeant Altiffimo famulari in prefentia, & cum deliberatione, & confenfu Venerabilium Virorum Fratris Filippi de Crivelis decretorum doctoris de La vinea Laudenf., Fratris Simonis de Gifulfis Sancti Joannis Baptiftæ, Fratris Chriftofori de Capitaneis de Ozino Sancti Dominici de Carugate Diffinitoris, Fratris Antonii de Graffis Sancti Calimeri Vifitatoris, Fratris Filipi de Cinifculo de la Canonica, Fratris Gabrielis de Reynis de Otaciis, Fratris Pauli de Bovifio Sancti Spiritus, & Fratris Martini de Stramidis de la Canova domorum Civitatis Mediolani Prepofitorum, ex fuafionibus etiam Ill. Montisferrati Marchioniffæ Monafterium predictum Sancti Marci cum fuis juribus, & pertinentiis eidem Monafterio Sancti Bartholomei perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, & eidem Monafterio Sancti Bartolomei fubicimus, ita quod de cætero unum corpus exiftant, & per Miniftram pro tempore ejufdem domus Sancti Bartholomei gubernentur, ac liceat, & licitum fit Miniftræ, & Conventui prædictæ domus Sancti Bartolomei propria auctoritate, & alicujus licentia minime requifita prædictum Monafterium Sancti Marci, ejufque bona & jura apprehendere, & retinere, & de ipfis bonis, & juribus libere difponere, ficut de aliis bonis, & juribus ejufdem Monafterii Sancti Bartolomei. Provifo nihilominus quod prædictum Monafterium Sancti Marci minime ad ufus prophanos deducatur, & quod in eodem Miffa celebretur, ac profeffæ ejufdem Monafterii condecenter, & fecundum ejus facultates fuftententur, & per Miniftram, & Sorores Sancti Bartolomei ejufdem Sororibus Sancti Marci quoad vixerint miniftrentur neceffaria ad quotidianam vitam, ne, quod abfit, eifdem præberetur materia, mendicandi in obprobrium Sanctæ Religionis. In quorum omnium, & fingulorum fidem, & teftimonium præfentes litteras in formam publici documenti per Johannem de Giochis Cancellarium noftrum infrafcriptum legi, & publicari mandavimus, & ad cautelam figilli noftri majoris appen-

pensione muniri. Datum, & actum in domo de la Canova extra muros Mediolani ejusdem Ordinis, in qua presentialiter ressidemus sub anno Nativitatis Dñi Millesimo quadrigentesimo quadragesimo tertio Indic. sexta, die Sabati vigesima septima Mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. nostri D. Eugenii divina providentia Papæ quarti anno tertio decimo. Præsentibus ibidem Sapien. artium, & Medicinæ Doctore Dño Magnifico Rolando de Arsago fil. qu. Sapien. artium & Medicinæ Doctoris Dñi Magistri Michaelis Cive Mediolani, & Antonio de Varolis fil. qu. Dñi Johannis familiare nostro Testibus idoneis ad hæc vocatis specialiter, & rogatis.

L. T. Ego Johannes de Giochis natus qu. Dñi Ambrosii publicus Imperiali auctoritate, & Curiæ Archiepiscopalis Mediolanens. Notarius prænominatique Dñi Generalis Magistri Cancellarius præmissis, dum ut præmittitur agerentur, & fierent una cum dictis testibus præsens fui, & inde de Mandato prælibati Dñi Generalis prædictas litteras publicavi, & de ipsis Instrumentum confeci, ac in hanc publicam formam redegi, aliisque occupatus negotiis per alium scribi feci, & me subscripsi signum meum apponens consuetum in fidem omnium, & singulorum præmissorum.

Humiliatorum Domus S. Lucæ Brixiensi Nosocomio conceditur.

1446. 2. Nov. Ex Tabul. Nosocom. Brixiens.

PEtrus de Monte Juris utriusque Doctor Dei, & Apostolicæ Sedis Grati. Episcopus Brixiensis Marchio, Dux, & Comes Executor unicus a Sede Apostolica specialiter Deputatus Dilectis in Christo Priori, Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Sancti Salvatoris Brixiensis Congregationis Beatæ Mariæ de Fri-

fonaria Ordinis Sancti Augustini (1), nec non omnibus, & singulis, quos præsens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino, & Mandatis Nostris immo verius Apostolicis firmiter obedire. Litteras Sanctissimi in Christo Patris, & Dñi Nostri Dñi Eugenii Divina Providentia Papæ Quarti ejus vera bulla plumbea in Cordula Canapis More Romanæ Curiæ impendente bullatas non vitiatas, non abolitas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes Nobis per Dilectos in Christo Justaehinum de Ugozonibus, & Joannem de Bornado Sindicos, & Procuratores Confratrum Sancti Spiritus, & Consortii Brixiensis ad infrascripta, & alia per dictos Confratres solemniter, & specialiter Constitutos, prout constat publico Instrumento exinde confecto, rogato, & scripto per Marcum de Lothis Notarium die quinto decimo Mensis Junii Millesimo quatringentesimo quatragesimo quinto Nobis coram Notario publico, & testibus, etiam in præsentia Bartholomæi de Cortesiis Notarii Civis Brixiæ Sindici Communis Brixiæ præsentatas Nos cum ea, qua decuit reverentia noveritis recepisse tenoris subsequentis videlicet.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei venerabili Episcopo Brixiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti Filii Confratres Confraternitatis Sancti Spiritus Brixiensis ad Nos, & Romanam gerunt Ecclesiam, promeretur, ut Votis eorum, illis præsertim, quæ suarum animarum salutem, & pauperum, ac miserabilium personarum commodum, & utilitatem cum divini cultus augmento respiciunt, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem Dilectis in Christo Filiabus Priorissæ, & Sororibus Monasterii Sanctæ Cathari-

næ

(1) S. Salvatoris, idem est ac S. Aphræ, ac SS. Faustini & Jovitæ ad sanguinem Cœnobium, quod Canonici Regulares Lateranenses adhuc Brixiæ obtinent. V. Pennottum *Histor. Canon. Regul.* Lib. II. Cap. XXV. num. IV. Qui pariter de Congregatione B. Mariæ de Frisonaria fuse agit Lib. III. Cap. VI. & sequ.

næ Brixiensis per Priorissam soliti gubernari Ordinis Sancti Augustini sub cura Fratrum Prædicator. degentibus domum Sancti Lucæ Burgi Sancti Alexandri Brixiensis Ordinis Humiliatorum ex certis tunc expressis causis inter cætera præfato Monasterio perpetuo incorporavimus, annexuimus, & univimus per quasdam primo (2), *& deinde incorporatione, unione, & annexione prædictis earundem Litterarum vigore factis, cum illæ sortitæ essent effectum, domum, & Ecclesiam unitas cum illis tam contiguis, quam etiam propinquis, Ortis, Domibus, structuris, & Ædificiis suis dumtaxat a Monasterio, ejusque Priorissa, & Sororibus præfatis penitus segregantes, separantes, & dimembrantes ipsam Domum in Conventualem Prioratum pro usu, & habitatione perpetuis quorundam Congregationis Canonicorum Beatæ Mariæ de Frisonaria Ordinis Sancti Augustini erigentes, illam sic segregatam Canonicis præsentibus, & futuris dictæ Congregationis concessimus, donavimus, applicavimus, & appropriavimus sub certis modis, & formis per alias Nostras Litteras, prout in illis plenius continetur; Postmodum vero sicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum Confratrum petitio continebat, ipsi Canonici domum, Ecclesiam, ac Ortos, Domos, Structuras, & Ædificia prædicta assecuti illa ex tunc tenuerunt, & possiderunt, prout tenent, & possident de præsenti; cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicti Confratres Considerantes, quod præfatum Hospitale Sancti Spiritus Brixiensis, quod per eos regitur, & gubernatur adeo in suis structuris, & Ædificiis parvum existit, quod in illo hospitalitatem juxta eorum desiderium commode tenere non possint, ipsum Hospitale demoliri, & aliud Hospitale sub dicto Vocabulo Sancti Spiritus, & Sancti Lucæ de Misericordia de novo fundari, & construi facere desiderent, & si concessio, donatio, applicatio, & appropriatio Canonicis factæ prædictæ revocarentur, cassarentur, & annullarentur, ac domus præfata in eo Prioratus Dignitate, & Ordine Sancti Augustini prædictis suppressis penitus, & extinctis cum Ecclesia, structuris, Ortis,*

(2) Eugenii literæ indicantur, quas commemoravimus Vol. II. pag. 75.

Ortis, atque Domibus præfatis pro fundatione, & constructione Hospitalis hujusmodi, seu illarum ampliatione ipsis Confratribus donaretur, concederetur, & appropriaretur, dicti Confratres in Recompensam donationis, concessionis, & appropriationis eis faciendarum prædictarum summam quadringentorum Florenorum auri de Camera Canonicis præfatæ Congregationis in illorum usus, & utilitatem convertendam realiter converterent, traderent, & exbursarent, nec non unum sumptuosum, & magnum in suis structuris, & Ædificiis Hospitale pauperum de bonis adeo sibi collatis, & in Christi Fidelium suffragiis fundarent, & construerent, seu fundari, & construi facerent in dicti Cultus augmentum, nec non magnum pauperum, & miserabilium personarum ad illud pro tempore confluentium commodum, & utilitatem; pro parte eorum Confratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum pio desiderio hujusmodi in præmissis salubriter annuere, & alias super hiis opportune providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum prædictum Nostris præsertim temporibus vigeri, & augeri intensis desideriis affectamus, nec non pauperum, & miserabilium personarum necessitatibus libenter subvenimus hujusmodi, nec non dilectorum Filiorum, Comunitatis, & Civium Civitatis Brixiensis Nobis super hoc humiliter supplicantum supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dictis Canonicis, & aliis, qui fuerint evocandi super præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis Auctoritate Nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea fore vera repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, post quam dicti Confratres summam pecuniarum præfatam eisdem Canonicis realiter, & cum effectu tradiderint, & exbursaverint, aut de tradendo, & exbursando ipsis Canonicis summam prædictam infra competentem ad hoc per te eisdem Confratribus de dictorum Canonicorum consensu assignandum terminum sufficientem cautionem præstiterint, concessionem, donationem, applicationem, & appropriationem revocare, cassare, & annullare, ac domum Sancti Lucæ in illa Prioratus Dignitate, & Ordine Sancti Augustini præfatis per

te

te primitus suppressis penitus, & extinctis cum Ecclesia, structuris Ædificiis, Domibus, & Ortis præfatis pro fundatione, & constructione eisdem Confratribus donare, concedere, & appropriare, ipsisque Confratribus dictum Hospitale Sancti Spiritus demoliendi, & in illius, ac domus prædictæ locis aliud Magnum Hospitale sub Vocabulo prædicto ad instar Hospitalis pauperum Sanctæ Mariæ Novæ Florentiæ (3)*; ita quod dicta Ecclesia Sancti Lucæ pro Ecclesia, seu Capella, & ipsius Ecclesiæ Sancti Lucæ Cimiterium pro sepeliendis inibi morientium corporibus ipsius fundandi Hospitalis Cimiterium sint, & censeri debeant, fundandi, & construendi licentiam elargiri, nec non quod ipsum de novo fundandum Hospitale per personas de Confraternitate hujusmodi, vel ad hoc per eas deputandis perpetuo regatur, & gubernetur in omnibus, & per omnia quemadmodum dictum Hospitale Sancti Spiritus regitur, & gubernatur, statuere, & ordinare eadem Auctoritate nostra procures, Jure tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis Juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, tertio Non. Maji Pontificatus Nostri Anno sexto decimo.*

Post quarum quidem &c. (4). Datum, & actum in domibus Episcopalis Pallatii Brixiæ in Camera audientiæ prælibati Dñi Episcopi situatis in Cittadella veteri Brixiæ in contrata Crucis Bonorum, Anno a Nativitate Dñi Nostri Jesu Christi millesimo quatringentesimo quatragesimo sexto, Indictione nona die secundo mensis Novembris Pontificatus in Christo Patris & Dñi Dñi Eugenii Divina Providentia Papæ Quarti Anno sexto decimo, Præ-

(3) V. sup. pag. 14.

(4) Additur hic Brixiensis Episcopi de Pontificiarum literarum exequutione decretum, quod cum iisdem fere verbis cum literis Pontificiis conscriptum sit, ab illo edendo abstinemus.

Præsentibus spectabilibus Juris utriusque Doctore D. Ambrosio de Advocatis, Dño Gabriele de Alexandris de Adraria legum Doctore, D. Antonio de Manerva Causidico, & Antonio de Cataneis de Cremona Notario Episcopalis Curiæ Brixiæ omnibus Civibus, & habitatoribus Brixiæ testibus rogatis, notis, & ad suprascripta specialiter vocatis.

In Christi Nomine. Amen. Ego Marcus Fil. qu. Petri de Lothis Publicus Notarius Civis, & habitator Brixiæ, ac Notarius, & Scriba prælibati Dñi Petri Episcopi, & Executoris Apostolici ad infrascripta specialiter electus suprascriptis omnibus, dum sic agerentur, & fierent, ut præmittitur, interfui, eaque fieri, vidi, & audivi, & de mandato prælibati Dñi Executoris tradidi, confeci, & imbreviavi; Ideoque per hoc præsens publicum Instrumentum manu aliena fideliter scriptum me aliis occupatus negociis subscripsi signo mei Tabellionatus apposito consueto, & eum præfati Dñi Executoris sigillo apposito signavī in fidem, & testimonium omnium præmissorum rogatus, & requisitus.



Blanca

Blanca Vicecomes
Cassanensem Præposituram Fr. Joanni de Orsanigo
perpetuo concedi jubet.

1453. 8. Mart. Ex Cod. Puric.

Blanca Maria Vicecomes Ducissa Mediolani &c., Papiæ Angleriæque Comitissa, ac Cremonæ Domina (1). Exposuit nobis Fr. Joannes de Orsanigo Præpositus Ecclesiæ S. Matthæi terræ nostræ Cassiani Ordinis Humiliatorum dilectus noster, se reperuisse domos dictæ Ecclesiæ ac Præposituræ adeo dirupatas ac devastatas, ut vix habitari possint, quas libenter refici & reparari faceret non solum ex proventibus ipsius Ecclesiæ, verum etiam de propriis; sed nollet, quod ædificata domo alter ad eam intraret, supplicando ut super hoc opportune providere velimus. Et considerantes hujusmodi ejus desiderium & requisitionem honestam, & omni æquitate refertam esse; informatæque de ipsius Fr. Joannis honestate vitæ & moribus, dictamque Præposituram ei per Ven. Fr. Philippum de Crivellis Generalem Magistrum dicti Ordinis in perpetuum concessam fore, non immerito movemur, ut ipsum nostris favoribus & commendationibus prosequamur. Idcirco tenore præsentium hortamur præfatum D. Generalem, & successores suos; præpositis vero & aliis Fratribus dicti Ordinis præsentibus & futuris mandamus, quatenus ipso Fr. Joanne reparante vel reparari faciente domum, ut præmittitur, destructam, ipsum quoad usque vivet, in ejus domus & Præ-

(1) Bianca Maria Vicecomes Philippi Mediolanensis Ducis filia, ac Francisci Sfortiæ ejus successoris uxor. Has porro literas ideo ab illa conscriptas arbitror, quod Franciscus per hæc tempora bello, quod illi cum Venetis erat, distentus, Mediolano abesse cogeretur, ac Reipublicæ administrationem uxori permittere.

positurae possessione quiete & pacifice stare, ejusque fructus & proventus percipere permittant, eumque in omnibus nostri contemplatione commendatum habeant, & bene pertractent, quod nobis gratissimum erit. In quorum testimonium praesentes fieri jussimus, & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Dat. Mediolani die 8. Martii 1453.

Domus S. Mariae Magdalenae Brixiens. ejusdem urbis Nosocomio conjungitur.

1455. 26. Mart. Ex Tabul. Nosocom. Brixiens.

UNiversis, & singulis praesentes Litteras, seu praesentem processum, aut praesens publicum Instrumentum inspecturis, visuris pariter, & audituris Manfredinus de Ferariis de Soncino Praepositus Ecclesiae Sanctorum Nazarij, & Celsi Brixiensis, Judex Commissarius, & Executor Unicus ad infrascripta a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatus Salutem in Dño, & eosdem Praesentibus fidem indubiam adhibere. Litteras SSmi in Christo Patris, & Dñi Nostri Dñi Nicolaj divina providentia Papae Quinti ejus vera bulla cum cordula canapis more Romanae Curiae impendente bullatas, sanas, & integras non vitiatas, nec cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, prout in eis prima facie apparebat Nobis per Egregium, & prudentem Virum D. Laurentium de Pamfiis Causidicum Civem Brixiae Sindicum, & Procuratorem, & Sindicario, & Procuratorio nomine Comunitatis, & Civium Civitatis Brixiae ad infrascripta, & alia solemniter constitutum, ut constat publico Instrumento rogato per prudentem Virum D. Franciscum de Malveziis Notarium Civem Brixiae, & Cancellarium Comunitatis Brixiae, die, mense, & millesimo in eo contentis coram Notario publico, & testibus infrascriptis presentatas. Nos cum ea, qua decuit reverentia noveritis recepisse tenoris subsequentis videlicet,

Nico-

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Præposito Ecclesiæ SS. Nazarij, & Celsi Brixiensis salutem, & Apostolicam benedictionem. Pia consideratione Romanum decet Pontificem Xenodochiorum, & Hospitalium, ac aliorum Locorum quorumlibet, in quibus egeni pauperes, & infirmi suscipiuntur, refocilanturque statui paterna caritate consulere, ut in eis caritatis, & misericordiæ opera huiusmodi per amplius exerceri valeant, ac alias pro Hospitalium, & Locorum incrementis fælicibus, & pauperum huiusmodi præsidiis opportunis partes sui ministerii interponere efficaces. Sane pro parte Dilectorum Filiorum Comunitatis, & Civium Civitatis Brixiensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in dicta Civitate quoddam notabile, famosum, & insigne Hospitale pauperum ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & Domini Nostri Jesu Christi sub vocabulo Sancti Spiritus pro pauperum infirmorum, peregrinorum, ac aliarum miserabilium personarum ad illud pro tempore confluentium susceptione, usu, & recitatione (forte visitatione*) per dilectos Filios homines Consortij Hospitalis ejusdem magno, & sumptuoso opere de novo fundatum, & constructum extiterit, ac in eo hospitalitas iam laudabiliter servatur, tamen ad tam pij, & laudabilis operis venustatem, & augmentum plurima necessaria, & opportuna fore noscuntur, quæ per homines prælictos ob fundationem, & constructionem hujusmodi multipliciter gravatos pariter, & exhaustos ad optatum nequeunt commode deduci effectum, & sicuti eadem petitio subjungebat, si Præpositura, sive domus S. Mariæ Magdalenæ de Gambara Brixiensis Ordinis Humiliatorum eidem Hospitali Insigni Sancti Spiritus perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, pauperum, infirmorum, & peregrinorum indigentiis, & necessitatibus commodius subveniri, ac in ipso Hospitali maior hospitalitas servari procul dubio posset, cederetque unio prædicta in non modicum Hospitalis, & pauperum huiusmodi præsidium, & etiam sublevamen; Quare pro parte Comunitatis, & Civium prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Præposituram, sive domum prælictam per Præpositum gubernari solitam, cujus fructus, redditus, & proventus sexcento-*

 cento-

centorum Florenorum auri de Camera secundum Comunem Extimationem valorem annuum, ut idem Comunitas, & Ciues afferunt, non excedunt, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis præfato Hospitali pro tot, & tantis piis, atque laudabilibus misericordiæ operibus, quæ in eo quotidie exercentur, ut majora in posterum suscipiant incrementa, perpetuo unire, annectere, & incorporare, ac alias super hiis paterna caritate consulere, & opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex suscepti pastoralis Ministerij Officio pro pauperum, & miserabilium personarum earundem indigentiis tenemur occurrere, & eas ab ipsis necessitatibus, & incommodis quantum cum Deo possumus relevare, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus super præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis Auctoritate Nostra te diligenter informes; Et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Præposituram, seu domum prædictam S. Mariæ Magdalenæ, quæ Dignitas Conventualis existit, etiam si ad illam consueverit quis per electionem assumi cum omnibus iuribus, & pertinentiis supradictis præfato Hospitali, cuius fructus, redditus, & proventus præsentibus haberi volumus pro expressis, Auctoritate præfata perpetuo unias, incorpores, & annectas, ita quod cedente, vel decedente moderno Præposito Præposituræ, sive domus præfatæ, aut Præposituram, sive domum prædictam alias quomodolibet dimittente, liceat Hominibus Conforcij antedicti per se, vel alium, sive alios corporalem possessionem Præposituræ, sive domus, iuriumque, & pertinentiarum prædictorum Auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi usus, & utilitatem hospitalis, & fabricæ, ac pauperum, infirmorum, & peregrinorum eorundem usus, & utilitatem convertere, ipsiusque Præposituræ bona etiam immobilia quoties opus fuerit vendere, & alienare alicuius super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Statutis, & Consuetudinibus Præposituræ, sive Domus, & Ordinis prædictorum Juramento,

mento, Confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, & quibuslibet privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus, uel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris Litteris mentio specialis. Nos enim irritum decernimus, & inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quatringentesimo quinquagesimo quarto quinto decimo Kal. Martij Pontificatus Nostri anno octavo.

Post quarum quidem Litterarum Apostolicarum præsentationem, &c. (1) Datum, & actum in Claustris Ecclesiæ SS. Nazarij, & Celsi Brixiensis sub anno a Natiuitate Dñi Nostri Jesu Christi millesimo quatringentesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia, die vigesimo sexto mensis Marcij Pontificatus SSñi in Christo Patris, & Dñi Nostri Dñi Nicolaj Diuina Providentia Papæ Quinti anno octavo. Præsentibus Venerabilibus, & Discretis Viris Dño Præsbitero Bertalino de Minellis de Palsirano, & Dño Pancratio de Spagnolis de Monteclaro Præsbitero ambobus Capellanis in S. Nazario, & Egregio Viro Giuelmino de Salis Causidico omnibus testibus rogatis, notis, & specialiter ad suprascripta vocatis.

In Christi Nomine. Amen. Ego Marcus filius qu. Petri de Lothis publicus Imperiali Auctoritate Notarius Civis, & habitator Brixiæ, ac Notarius, & Scriba præfati Dñi Executoris Apostolici, quia prænissis præsentationi suprascriptarum Litterarum Apostolicarum, earumque receptioni fulminationi executioni processus, omnibusque aliis, & singulis suprascriptis dum sic, ut præmit-

(1) Subditur hic Maufredini decretum, quo Pontificias literas exequutioni mandari præcipit; quod cum iisdem fere verbis cum Pontificiis ipsis literis conceptum sit, edere mittimus.

mittitur agerentur, & fierent per præfatum Dñum Præpositum Delegatum, & Executorem, ut supra una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque vidi fieri, & audivi. Ideoque hoc præsens publicum Instrumentum manu aliena fideliter scriptum me, aliis occupatus negociis, fidelit. subscripsi signo mei tabellionatus apposito consueto una cum præfati Dñi Executoris Sigillo apposito signavi in fidem, robur, & testimonium omnium præmissorum rogatus, & requisitus.

Philippi de Crivellis ad Rondenariensem Præpositum literæ.

1456. 18. Febr. Apud Cl. Anton. Joseph Com. a Turre Rezzonici.

FRater Philippus de Crivellis decretorum doctor, dei & apostolice sedis gratia tocius humiliatorum Ordinis Generalis Magister. Significavit nobis frater Johannes Ruscha nuncupatus de claro (1) Prepositus nec non fratres & conventus domus sancte marie & omnium sanctorum de Rondenario Cumar. ordinis nostri humiliatorum, quod pro imminentibus ejusdem domus de Rondenario necessitatibus, & presertim pro solvendo decimam nuper (*per*) Sanctissimum dominum nostrum dominum Calistum papam tertium (2) impositam, & alia onera ejusdem domus incumbit eisdem de presenti recuperare in & super bonis ejusdem domus nonnullas pecuniarum summas. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut eisdem pro evidenti utilitate dicte domus de Rondenario recuperandi in & super bonis dicte domus de Rondenario omnes quantitates denariorum, prout eisdem melius pro evidenti utilitate dicte domus videbitur, licentiam concedere digna-

(1) Idem, ut arbitror, qui post Philippi mortem Generalis Humiliatorum Vicarius jussus est, ut diximus Vol. I. pag. 141. Quamvis enim in monumento ibi allato dicatur *de Rusconibus*, sæpe tamen videmus duo hæc nomina promiscue usurpari.

(2) Decimam hanc Calixtus imposuisse videtur, ut bellum in Turcas urgeret, quod ille impenso studio fovebat. V. Histor. Eccl. ad hunc & sequentem annum.

gnaremur. Nos igitur premissis attentis, eidem Preposito & fratribus omnes denariorum quantitates eisdem necessarias recuperandi a quibuslibet persona vel personis, prout eisdem melius videbitur, super bonis dicte domus, & pecunias ipsas exbursantibus ante tempus quitandi & liberandi licentiam elargimur, & omnimodam potestatem concedimus per presentes, Constitutionibus dicti ordinis ac aliis in.... non obstantibus quibuscumque. In quorum testimonium presentes fieri jussimus, & sigili nostri munimine roborari. Dat. Mediolani MCCCCL. sexto, Indict. quarta, die Jovis, XVIII. mensis Februarii (3).

Frater phili L. ✠ S. ppus de crivellis generalis ut sup. subscripsit
M. de Giochis.

(3) Stemma Gentilitium Cribellæ gentis hoc loco appositum est, cribrum scilicet.



Privilegium Pii Papæ Secundi, in quo ordinatum est officium generalatus fore ad sex annos; & quod Generalis de toto fodro antiquo de tribus partibus habeat duas partes; quodque affirmantur Privilegia & Constitutiones Ordinis Humiliatorum.

1459. 11. Aug. Ex Cod. Puric.

PIus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Inter ceteros ordines in agro Dominico plantatos, Sacrum Ordinem Humiliatorum, claris exigentibus meritis, in visceribus charitatis (*deest forte* amplectentes), ad ea vigilanter intendimus, ac opem & operam efficaces impertimur, per quæ status ejusdem Ordinis ad divini nominis gloriam, exaltationem fidei, & salutem animatum prosperis semper affluat suc-

ſucceſſibus, tranquillis foveatur eventibus, ac votivis proficiat incrementis. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Generalis Magiſter, ac Præpoſiti, Prælati, & fratres dicti Ordinis ex conſilio & exhortatione dilecti filii noſtri Petri tit. S. Marci Presbiteri Cardinalis (1) dicti Ordinis Protectoris, Conſtitutiones & Statuta dicti Ordinis in melius reformari vehementer exoptent; Nos, ne propterea idem Ordo Apoſtolicæ, quod abſit, providentiæ deſtitutus conſilio, periculoſæ reformationis attingat opprobrium, aut aliqua ſpiritualia ſeu temporalia detrimenta ſuſtineat, providere volentes, motu proprio, ex certa ſcientia, & non ad alicujus alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed noſtra mera deliberatione & voluntate, pro ipſius Ordinis & perſonarum illius reformatione ſtatuque proſpero & felici, hujus perpetuæ Conſtitutionis edicto auctoritate apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod officium Generalatus ordinis præfati per ſex annos continuo duret, quibus elapſis nec qui officium illud obtinuit, ſibi confirmari, aut in eum prorogari ante lapſum temporis hujuſmodi, ſeu ad illud reeligi petere poſſit, aut quomodolibet procurare immediate (niſi ſucceſſor in officio tempore hujuſmodi durante in dicto officio decederet, ſeu officium ipſum lapſis ſex annis prædictis finiatur), nec Præpoſiti domorum ejuſdem Ordinis reeligere, aut etiam quomodolibet procurare. Quod ſi ſecus ipſe Generalis & Præpoſiti fecerint, eorum beneficiis ipſo facto privati exiſtant; & ſententiam excommunicationis incurrant eo ipſo, idque quod per eos factum fuerit irritum & inane decernimus. Quodque ſingulo triennio Capitulum generale Ordinis celebretur, in quo Officiales dicti Ordinis eligantur, per Capitulum hujuſmodi eligendi, & triennio ipſo

(1) Petrus Card. Barbus indicatur, Eugenii IV. P. M. ſororis filius, qui deinde an. 1464. poſt Pii II. obitum ad Pontificiam Sedem evectus, Paullus II. appellatus eſt.

ipso in officio illo, ad quod quemlibet eorum eligi continget, perdurent; quo completo, ii, qui electi fuerant, usque ad eorum medietatem reeligi valeant, attenta Domorum & Fratrum ordinis ejusdem paucitate; quo elapso iterato triennio ad eadem officia immediate reeligi non possint, sed omnes indistincte ad alia officia eligi valeant. Verum quoniam in magnis & arduis negotiis, in quibus periculum vertitur, cautius est agendum, & secundum canonicas sanctiones firmius sit judicium, quod plurimorum sententia comprobatur, motu simili statuimus, & ordinamus, quod in singulis gravibus & arduis negotiis dictus Generalis Magister Definitorum ejusdem Ordinis, vel eorumdem majoris partis uti consilio teneatur; aut si eorum copiam commode habere non possit, duorum definitorum, & totidem Visitatorum ad minus illius provinciæ, in qua negotia ipsa vertentur, consilio & consensu potiatur; & si secus actum fuerit, nullius sit roboris vel momenti. Sed quia parum est quempiam præsidem præficere, nisi eorum, quibus præest, ad notitiam deducatur, simili modo statuimus & ordinamus, quod præsens & pro tempore existens dicti Ordinis Generalis infra annum a die electionis suæ totum Ordinem personaliter, nisi legitima causa fuerit præpeditus, sub excommunicationis pœna, una cum Visitatoribus per provincias deputatis, visitare teneatur, offitiumque visitationis hujusmodi diligenter exerceat, ac provideat, quod in ejusdem Ordinis domibus Præpositi & fratres alii diurnum pariter & nocturnum offitium solemniter celebrent & devote; quodque tot fratres & Ministri in quolibet ejusdem Ordinis Monasterio seu loco resideant, quot ejusdem Monasterii seu domus ad illos retinendum suppetunt facultates; maximeque intendat, ne fratres ejusdem Ordinis per plateas & vicos discurrant; sed bini cum licentia Præpositi domus, in qua degunt, cum Cappa & Capuccio exeant; præpositosque domorum earumdem moneat, ne fratres ipsos sic vagari permittant, sed ipsos ab hujusmodi coer-

ceant resilire, super quo ejusdem Generalis & cujuslibet Visitatorum hujusmodi conscientiam graviter oneramus. Quod si visitationem hujusmodi idem Generalis personaliter exercere legitime præpeditus non poterit, per idoneum Vicarium in parte vel in toto Ordinem ipsum visitare possit & valeat. Et cum pastorem deceat errantes oves ad debitum ovile reducere, volumus & ordinamus, quod fratres, qui extra ovile domorum dicti Ordinis existentium errantes sunt, ad eas revocentur; & in domibus, in quibus deputati seu professi fuerint, residere compellantur; aut ad loca alia ejusdem Ordinis causa legitima subsistente deputentur. Et ne Ordo virtuosis viris claris virtutibus destituatur, sed in illo pullulent continuo studiosi, volumus atque statuimus, ut Generalis ipse duo Collegia, unum videlicet Papiæ, in quo ad minus octo, reliquum vero Paduæ, in quo ad minus quatuor ejusdem Ordinis professi Fratres in Jure Canonico, aut in artibus & S. Theologiæ studendo resideant, considerata earumdem domorum facultate, infra unius anni terminum construere & ordinare teneatur. Sed quia nonnumquam ordinata & recte disposita aut casu diminuuntur, vel Prælatorum desidia negliguntur, seu in melius pro varietate temporum disponi & ordinari debent & convenit, volumus & ordinamus, quod singulo triennio Generale Capitulum dicti Ordinis celebretur in loco, quem dicti Ordinis Generalis Magister, & Promotores, seu Capitulum Generale, juxta ipsius consuetudinem duxerint eligendum, in quo uniuscujusque Provinciæ unum Monasterium, seu una Domus ipsius Ordinis sub regulari observantia reformetur, prout ejusdem domus qualitate & commoditate pensatis, regularis Ordo exigit & requirit. Verum quia uniuscujusque vilescit auctoritas, nisi in ipsius officio præstantiam statumque servet congruentem, statuimus & ordinamus, quod dicti Ordinis Generalis Magister duas ex tribus antiqui Fodri (2) reci-

(2) Alias jam monuimus Fodrum idem esse, ac tributum quodcumque alicui penditur.

recipiat portiones, ut onera etiam ratione sui officii incumbentia supportare, & aliis necessitatibus, & præsertim Procuratori in Romana Curia valeat providere, quæ quidem portiones eidem Generali, & non ejusdem Ordinis Canepario (3) consignentur. Et si qui forte infra mensem post statutum terminum Fodrum, ad quod tenetur, eidem Generali solvere neglexerit, expensas, quas idem Generalis in exigendo illud fecerit, solvere compellatur. Volumus insuper, quod Offitiales Ordinis prædicti hactenus deputati in Generali Capitulo proxime celebrato in eorum officio remaneant, & illud exercere valeant, usque ad Capitulum celebrandum infra triennium a quinto Id. Jul. proxime præterito inchoatum, submotis duobus Officialibus ab eorum Officiis per Generale Capitulum in socios Generalis Magistri alias deputatis, juxta Constitutionem fel. rec. Callisti Papæ tertii prædecessoris nostri (4), illam in reliquis in ea dispositis revocando. Præsentes autem & reliquas dicti Ordinis Constitutiones ac Privilegia, quæ præsentibus obviare minime dignoscuntur, præsentium tenore auctoritate Apostolica approbamus & confirmamus, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum tamen quia difficile foret præsentes litteras ad singula loca, in quibus forsan necessariæ forent, transferre, auctoritate Apostolica decernimus, illas futuris temporibus apud præsentem, & pro tempore existentem Generalem Magistrum dicti Ordinis remanere, dato transumpto earumdem ex manu publici Notarii confecto, subscripto, & Ordinarii loci sigillo munito illud petentibus & habere volentibus, eorum sumptibus & expensis, cui prorsus fidem adhiberi volumus, & illi firmiter stari in judicio & extra in omnibus

 & per

(3) Hæc etiam vox quid significet, alias vidimus. Ceneparius scilicet idem est ac publicæ arcæ custos, seu, ut ajunt, thesaurarius.

(4) Has Callixti literas non habemus.

& per omnia, ficuti eifdem præfentibus ftaretur, fi forent exhibitæ vel oftenfæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftrorum ftatutorum, ordinationum, approbationis, conftitutionis & voluntatis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem id attentare præfumpferit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum. Dat. Mantuæ (5) anno Incarnationis Dominicæ 1459. 12. Cal. Septemb. Pontificatus noftri anno primo.

(5) Mantuæ tunc Pius morabatur, quo Chriftianos Dynaftas eorumque legatos convocarat, ut bellum in Turcas cogeret. V. Hiftoriæ Ecclef. Scriptores ad hunc annum.



Paulli II. literæ

pro Humiliatis Mediolan. Domus de Carugate.

1468. 9. Nov. Ex Bibl. Braid.

PAulus Epifcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Prepofito de Vicoboldono Mediolanen. Dioc. & in Mediolan. civitate commoranti, David de Lauteriis Canonico Cuman. Ecclefie falutem & Apoftolicam benedictionem. Dilecti filii Joannis de Medicis Prepofiti domus S. Dominici de Carrugate Mediol. Ordinis Humiliatorum decretorum Doctoris apud Sedem Apoftolicam conftituti fupplicationibus annuentes, prefentium vobis auctoritate mandamus, quatenus quidquid inveneritis in eius prejudicium attentatum, poftquam idem Prepofitus caufa peregrinationis, & pro quibufdam negotiis promovendis iter arripuit ad Sedem veniendi predictam, in ftatum priftinum legitime revocare curetis, contradictores per cenfuram Ecclefiafticam appellatione poftpofita compefcendo. Quod fi non ambo his exequendis potueritis intereffe, alter veftrum ea nihilominus exequa-

quatur. Dat. Rome anno Incarnationis Dominice 1468. v. Id. Novemb. Pontificatus nostri anno quinto.

Deest Sigillum.

Confirmatio conjunctionis domorum S. Marci & S. Bartholomæi Casalens.

1475. 6. Oct. Ex Tabul. Casalen.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Hiis quæ pro personarum Ecclesiasticarum præsertim religiosarum feminei sexus quæ Mundanis illecebris abjectis, & mortalis Viri spreto toro, uni viro Christo Jesu se voto cœlibi desponsarunt oportunitatibus provide facta sunt ut firma & illibata persistant, cum a nobis petitur apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilectarum in Christo Filiarum Ministræ, & Sororum Monasterii Sancti Bartolomæi Casalens. Ordinis Humiliatarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum qu. Frater Stephanus de Arsago Generalis Præpositus dicti Ordinis, videlicet anno Dñi millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio provide attendens, quod Monasterium Sancti Marci Civitatis tunc Oppidi Casalen. (1) dicti ordinis a nonnullis temporibus plurimum declinaverat, itaut in eo regularis observantia totaliter negligebatur, & fructus, redditus, & proventus ejusdem Monasterii Sancti Bartolomæi ad sustentationem Ministræ, & Religiosarum, ac Sororum in eo degentium non sufficiebant; indemnitati dicti Monasterii Sancti Marci providere, ac necessitatibus Ministræ, & Sororum hujusmodi, ut quietius valerent altissimo famulari, succurrere volens cum deliberatione, & consensu nonnullorum Præpositorum dicti Ordinis & deffinitorum secundum præfati Ordinis consuetudinem, Monasterium Sancti Marci prædictum cum om-

(1) V. sup. pag. 57.

omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Monasterio Sancti Bartolomæi ordinaria auctoritate perpetuo univit, & incorporavit, ac præfato Monasterio Sancti Bartolomæi subjecit: ita quod de cætero ipsa Monasteria unum corpus existerent, & per Ministram ejusdem Monasterii Sancti Bartolomæi pro tempore existentem gubernarentur, ac liceret Ministræ, & sororibus dicti Monasterii Sancti Bartolomæi propria auctoritate, & absque alicujus licentia dicti Monasterii Sancti Marci possessionem apprehendere, & perpetuo retinere, ac de illius bonis, & juribus disponere, prout in litteris ipsius Generalis desuper confectis dicitur plenius contineri (1). Et deinde Ministra, & sorores præfatæ unionis, incorporationis, & annexionis prædictar. vigore, possessionem dicti Monasterii Sancti Marci pacificam assecutæ illud ex tunc per triginta annos, & ultra tenuerunt, & possiderunt, prout tenent, & possident de presenti. Quare pro parte dictarum Ministræ, & Sororum asserentium, quod unio, annexio, & incorporatio prædictæ per modernum Generalem dicti Ordinis confirmatæ fuerunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi præfatis pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio ipsa non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interest, & idem in confirmationibus unionum jam factar. observaretur, ipsorum Monasteriorum fructuum redditiuum, & proventuum veros valores annuos præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem & incorporationem prædictas, ac illas concernentia om-

(1) V. sup. pag. 57.

omnia, & fingula in dictis litteris contenta, auctoritate apoftolica tenore præfentium approbamus, & confirmamus, fupplentes omnes, & fingulos deffectus tam juris, quam facti, fi qui forfan intervenerint in eifdem, non obftantibus conftitutionibus, & ordinationibus apoftolicis, ac voluntate noftra prædicta, ac ftatutis, & confuetudinibus Monafteriorum, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione apoftolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterifque contrariis quibufcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftræ approbationis & confirmationis infringere, vel ei aufu temerario contraire: fi quis autem hoc attemptare prefumpferit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo quadringentefimo feptuagefimo quinto. Pridie Non. Octobris. Pontificatus noftri anno quinto.

Jo. de Bumbellis.
P. de Monroy.
L. de Fulgineo.

A tergo Policarpus.

Sig. Sixti IV. de more.



Ge-

Generalis Humiliatorum Vicarius in Etruria constituitur.

1488. 10. Sept. Ex Tabul. Xenodoch. S. Mariæ Scalar. Senens.

IN Dei Nomine. Amen. Noverint Universi, & singuli hoc præsens publicum Instrumentum visuri, lecturi, ac audituri: quod Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo, Indictione septima (1), die vero Mercurii quarta Februarii secundum ritum Florentinum Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Dñi, Dñi Innocentii Divina providentia Papæ Octavi.

Qualiter Venerabilis Religiosus Frater Sebastianus Nicolai Joannis de Senis Ordinis Humiliatorum Domus Ecclesiæ S. Thomæ de Senis expresse professus faciens infrascripta omnia, & singula pro, & vice, & nomine Venerabilis Religiosi Fratris Salvatoris Lazari fratris professi dictæ Ecclesiæ S. Thomæ de Senis constitutus coram me Notario & Testibus infrascriptis in infrascripto loco, & in præsentia, & coram Rev. Patre Fratre Juliano Laurentii Ordinis Humiliatorum de Florentia Rev. in Christo Patris Dñi, & sive (*ita*) Fratris Simonis de Plenis Decretorum Doctoris Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia totius Ordinis Humiliatorum Generalis Magistri (2) in spiritualibus, & temporalibus Vicario Ge-

(1) Anno 1488. Indictio VI. congruebat. Sed animadvertendum est, quod alias monuimus, Florentinos anni initium a die 25. Martii ducere consuevisse; ut proinde Februarius mensis, qui in hoc monumento indicatur, quique apud alios ad an. 1489. pertinebat, apud Florentinos ad annum 1488. adhuc referretur. Diligentiores tamen Notarii, qui hac anni ratione utebantur, scribere consueverant: *anno ab Incarnatione &c.*, qua scilicet die 25. Martii peracta creditur: hic autem *anno nativitatis* per Notarii incuriam scriptum videmus.

(2) Vidimus Vol. I. pag. 141. Simonem hunc de Plenis nulla ratione Generalem Humiliatorum Magistrum dici potuisse. Jam enim ab an. 1486. Hieronymum de

Generali in partibus Tusciæ pro Tribunali sedente in infrascripto loco: Et quarum litterarum Vicariatus, & suæ Vicariæ dicti Fratris Juliani Vicarii Generalis prædicti tenor, qui sequitur, est talis, videlicet.

Frater Simon de Plenis Decretorum Doctor, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia totius Ordinis Humiliatorum Generalis Magister Venerabili nobis in Christo dilecto Fratri Juliano Dominici (3) omnium Sanctorum Florentiæ Ordinis præfati professo salutem in Dño sempiternam. Quia innumerabilium quasi negotiorum varietate distrahimur, & humana natura non patitur, ut essentia nostri corporis tota simul in diversis locis exhibeat se præsentem, Illos in partem sollicitudinis nostræ nonnumquam assumimus, quibus fore percipimus cœlesti dono provisum, ut negotiis, quibus deputantur, sciant, & possint provide consulere, & salubri postmodum remedio providere: Id propterea ne Domus nostræ in partibus Tusciæ existentes aliquam jacturam, & detrimentum tam in spiritualibus, quam in temporalibus incurrant, Te nostrum, & dicti Ordinis omnium, & singularum Domorum partium Tusciæ Vicarium Generalem tenore præsentium facimus, constituimus, & creamus, Tibique de quibuscumque causis tam civilibus, quam criminalibus, seu mixtis ad Nos ratione dicti Officii, & Magistratus, seu forum nostrum quomodolibet pertinentibus & spectantibus, audiendi, cognoscendi, decidendi, diffiniendi, dirimendi, sententiandi, & fine debito, sive canonico terminandi, & quod decreveris exequendi, & a subditis nostris ob-

Landriano ad hujusmodi dignitatem evectum fuisse ostendimus, quam ille usque ad an. 1515. obtinuit. Itaque, siquidem certa sit monumenti hujus fides, cujus ego autographum non vidi, dicendum erit, Simonem Generalem Humiliatorum trans Apenninum Vicarium fuisse, ac minus proprie Generalis Magistri nomen sibi usurpasse.

(3) Hic etiam occurrit, quod monumenti hujus fidem dubiam reddat. Nam qui hic *Julianus Dominici* dicitur, paullo ante *Julianus Laurentii* appellatus est; sed forte Notarii negligentia hic error irrepsit.

ſervari faciendi inviolabiliter: Contradictores quoque quoslibet, & rebelles ad id per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia compellendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio, & favore brachii ſecularis: Ac de quorumcumque ſubditorum noſtrorum delictis, & exceſſibus etiam inquirendi, & contra eos, & ipſorum quemlibet tam per accuſationem, quam per denunciationem, inquiſitionem, & officium procedendi, & ipſorum & cujuslibet eorum exceſſus, & delicta corrigendi, ipſoſque, & eorum quemlibet pro eorum delictis, & exceſſibus condemnandi, puniendi, & multandi, ac condemnationes, multas, & pœnas inflictas, & infligendas petendi, exigendi, mitigandi, & etiam remittendi: Et eos, & eorum Domos, tam in capite, quam in membris viſitandi, & reformandi, ſi & quatenus videris expedire, nec non ab officiis, Præpoſituris, Prælaturis, & Dignitatibus, ac adminiſtrationibus quibuſcumque tam perpetuo, quam ad tempus interdicendi, ſuſpendendi, privandi, & amovendi: Reſignationes quoque tam Præpoſitorum, quam Miniſtrorum ſponte reſignare volentium recipiendi, & ad electiones de novo procedendi ſecundum formam juris, & Ordinis præfati inſtituta: Ac etiam Iconomos, & Procuratores in Domibus dicti Ordinis, prout fuerit de jure, conſtituendi, ac alios Iconomos, & Procuratores conſtitutos in dictis Domibus revocandi: Omneſque Præpoſitos, Miniſtros, Fratres, & Sorores, ac Subditos vobis a quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis abſolvendi, & cum eis ſuper Irregularitatibus exinde contractis auctoritate noſtra miſericorditer diſpenſandi, prout de jure fuerit faciendum: Ac omnia, & ſingula in prædictis, & circa prædicta faciendi, quæ facere poſſemus, ſi præſentialiter adeſſemus, tenore præſentium concedimus facultatem, & liberam poteſtatem: Super quibus omnibus, & ſingulis ab eis dependentibus, incidentibus, emergentibus, & connexis plenarie committimus Tibi vices noſtras, univerſis, & ſingulis Subditis noſtris Domorum prædictarum

ſerie

ferie præfentium præcipiendo mandamus, quatenus Tibi in præmiffis, & fingulis præmifforum reverenter pareant, & intendant; alioquin proceffus, quos feceris in rebelles, & fententias, quas rite in eofdem tuleris, ratos & gratos habebimus, & faciemus auctore Domino ufque ad fatisfactionem condignam inviolabiliter obfervari. Infuper electiones, poftulationes, & præfentationes, quas tibi præfentari, & fieri contigerit canonice celebratas auctoritatem, & balyam committimus, & concedimus confirmandi, & minus canonicas infirmandi; nec non de Præpofituris, Prælaturis utriufque fexus Monafteriis, Domibus, & locis ad Nos ratione dicti Magifterii pertinentibus providendi, & Perfonis idoneis conferendi tam auctoritate religionis, moribus, & longeva confuctudine approbatis, quam ex Indultis Apoftolicis Nobis, & Officio noftro conceffis, quin etiam licentiandi fingulos fubditos noftros Domorum ipfarum fuper contractibus Inveftiturarum, ac etiam Emphiteoticarum fecundum tenorem & decretum noftrarum Conftitutionum. In quorum omnium, & fingulorum fidem, & teftimonium præmifforum præfentes fieri juffimus, & Sigilli noftri appenfione roborari. Dat. Romæ in regione Parionis fub Anno a Nativitate Dñi MCCCCLXXXVIII. Indictione VI. die vero Mercurii decima menfis Septembris, Pontificatus SSñi in Chrifto Patris, & Domini noftri Dñi Innocentii Divina Providentia Papæ Octavi anno IV. præfentibus ibidem Venerabilibus Viris Dñis Ludovico de Doul, & Gabriele Avieti Clericis Mandovien. & Kadoven. Diœcefis Teftibus ad præmiffa vocatis fpecialiter atque rogatis. Ego Gregorius Brever Clericus Cenomanen. Diœcefis publicus Apoftolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, quia præmiffis omnibus, & fingulis dum fic, ut præmittitur, fierent, & agerentur una cum prænominatis Teftibus præfens fui, eaque omnia, & fingula fic fieri audivi, & vidi; Ideo hoc præfens publicum Vicariatus inftrumentum manu mea propria fcriptum exinde confeci, fubfcripfi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi,

fignoque & nomine meis folitis, & confuetis una cum præfati Rev. Dñi Generalis Sigilli appenfione fignavi in fidem, & teftimonium omnium & fingulorum præmifforum rogatus, & requifitus (4).

(4) Subditur hic Vicarii hujus decretum, quo Senenfem Præpofituram S. Thomæ Fr. Salvatori Lazari collatam confirmat atque approbat.



Unio Præpofituræ S. Matthæi in loco Caffani fupra Abduam cum domo Humiliatarum S. Catharinæ de Blaffono Mediolani facta per Capitulum Generale Ordinis Humiliatorum in domo S. Michaelis Parmæ anno Domini 1491.

1491. 19. Apr. Ex Cod. Puric.

FR. Hieronymus de Landriano Decretorum Doctor, Præpofitus Domus S. Abundii Cremonæ Ordinis Humiliatorum, Dei & Apoftolicæ Sedis gratia totius Ordinis Humiliatorum Generalis Magifter, Fr. Stephanus de Broziis domus S. Mariæ de Rondenario Cumarum, Ludovicus de Landriano domus S. Petri de Vicoboldono Mediolan. Dioc., Joannes de Velate S. Mariæ Braydæ Mediolani, Bartholus de Lanteriis S. Mariæ Magdalenæ de Gambara Brixiæ, Antonius de Ferris SS. Philippi & Jacobi de Sapina Bononiæ, Petrus de Stampis S. Joannis de Capucio Alexandriæ, Joannes de Oe S. Laurentii Pinaroli Dioc. Taurinenfis, Balthefar de Monte S. Michaelis Parmæ, Marcus de Boffiis Decretorum Doctor Omnium SS. Florentiæ, Lucas de Verona S. Mariæ de la Glara Veronæ, Galeaz de Colleo-

leonibus SS. Simonis & Judæ de la mansione Bergomi, Angelus de Gariboldis Omnium SS. de la Carona Papiæ, Guido de Baldo Decretorum Doctor S. Christophori Laudæ, Dominicus de Pollastris S. Spiritus Mediolani, Bernardinus de la Mirandula S. Calimerii Mediolani, Augustinus de Corsico S. Theologiæ Magister S.... de Florenzola, Salvator de Lazaris S. Thomæ Senarum, Joannes Petrus de Pizis Decretorum Doctor S. Mariæ de Ottaziis Mediolani, Petrus de Urugio S. Dominici de Carugate Mediolani, Christophorus de Barufis S. Bernardi de Rhegio, Benedictus de Rondina S. Trinitatis de Aviliana Taurinen. Dioc., Joannes Antonius de Colleonibus S. Marini Cremæ, Hieronymus de Carenzonibus S. Francisci parvi Patavii, Donatus de Septara S. Crucis Novariæ, Guido de Casate S. Simonis Novariæ, Paulus de Mangonibus SS. Petri & Pauli de Caravagio, Zaninus de Merisiis S. Mariæ de Furnovo Caravagii, Clemens de Prata S. Joanais Evangelistæ de Applano Mediolanen. Dioc., Borromeus de Lanzavegiis S. Jacobi Cremonæ, Ambrosius de Plenis Omnium SS. Modoetiæ, Christophorus de Laurentino SS. Philippi & Jacobi de Ripalta Modoetiæ, Scipio de Rottariis S. Quirici Ast (1), Albertus de Raxiis S. Catharinæ de Lugano Cuman. Dioc., Vincentius de Burgo S. Joannis Baptistæ de Domaxio Cuman. Dioc., Thomasius de Rezonico S. Ursulæ de Surico Cuman. Dioc., Jacobus de Bechaliis de Cremona S. Georgii de Canturio Mediolanen. Dioc., Gothardus ex Comitibus de Mosano S. Pauli de Soncino Cremon. Dioc., Jacobinus de Crivellis SS. Simonis & Judæ Mediolani, Jacobus de Lampugnano S. Mariæ de la Canonica Mediolani, Gabriel de Guaschis S. Syri Alexandriæ, Guido Vicecomes S. Bartholomæi de Aquis, Franciscus de Bagarotis S. Mariæ Burgi S. Donini, Franciscus de Senago Rector S. Oldrici Papiæ, Franciscus Maria de Murano S. Lucæ Mutinæ, Baptista de Fantino S. Mariæ

(1) Idem qui postea Astensi Ecclesiæ præfuit, de quo diximus Vol. I. pag. 159.

S. Mariæ de Burgo Ticini, Joannes Antonius de Canturio S. Andreæ Modoetiæ, Franciſcus de Allegris S. Laurentii de Canobio Mediolan. Dioc., Ruglerius de Curte S. Baudolini Alexandriæ, Joannes de Solario S. Catharinæ de Pallantia Mediolanen. Dioc., Joannes Jacobus de Verano S. Catharinæ de Ciſtelago Mediolanen. Dioc., Aloyſius de Undegardis S. Nicolai de Bellano Mediolanen. Dioc., Joannes de Taliacanis S. Bartholomæi Veronæ, Zaninus de Guida S. Pauli de Coniano Venetenſis Dioc., Marcus de Ferrinis S. Torpetis de Piſis, Laurentius Petri SS. Mariæ & Michaelis de Civolis Lucanæ Dioc., Bartholomæus de Muſida Prior S. Barnabæ Therdonæ, Antonius de Conti Domus Dei Aſt, Donatus de Gregoriis S. Chriſtophori de Verona, Vincentius de Bertonis S. Mariæ de Tomba Veronenſ. Dioc., Beltraminus de Meltio S. Joannis Baptiſtæ de Valderia Vicentinæ Dioc., Antonius de Lupis S. Mariæ de Lacragno de Clavenna Cumanæ Dioc., Nicolaus de Ruſſiate S. Petri de Brenzano Pergomi, Peronus de Scalambris SS. Fabiani & Sebaſtiani de Carentino nullius Dioc., Ambroſius de Furnono S. Bartholomæi de Cemo Brixienſ. Dioc., Jacobus de Carlo S. Spiritus Placentiæ, & Antonius de Ruſiis de Endena S. Bartholomæi Pergomi, omnes domorum Ordinis noſtri Humiliatorum Præpoſiti in Capitulo præſenti Generali, quod in domo noſtra S. Michaelis de Parma Ordinis noſtri Humiliatorum celebratur, in unum convocati & congregati, univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Poſtulat injunctum nobis ſervitutis officium, ut ea, quæ domorum Ordinis noſtri commodo & utilitati procedere comperimus, ne impugnantium jaculis ſubjaceant, muniminis præſidio ſolidemus. Cum itaque pro parte diſeretarum Religioſarum Miniſtræ ſive Matris Humiliatarum & Conventus domus noſtræ S. Catharinæ Mediolani Ordinis noſtri Humiliatorum nobis nuper oblata petitio continebat, quod recolendæ memoriæ quondam D. Fr. Jacobus de Landriano olim prætacti Or-

Ordinis Generalis Magister, attendens domum S. Matthæi terræ Cassiani Cremonen. Dioc. ad spiritualium & temporalium destitutionem vergere, de consilio plurimorum tunc dicti Ordinis discretorum Præpositorum, domum prædictam de Cassiano prædictæ domui S. Catharinæ Mediolani cum suis juribus ac pertinentiis univit, annexuit, & incorporavit, ac ipsi domui S. Catharinæ subjecit; voluit quoque quod cedente vel decedente Fr. Joanne de Orfanigo moderno Præposito dictæ domus, vel alias ipso eam dimittente vel relaxante liceret & licitum esset Ministræ Humiliatis, & Conventui dictæ domus S. Catharinæ propria auctoritate & alterius licentia minime requisita, domum ipsam de Cassiano ejusque bona, & jura, & pertinentias apprehendere ac perpetuo retinere, ac de ipsis disponere possent, prout de aliis bonis dictæ domus S. Catharinæ, prout latius in litteris desuper confectis continetur. Nos quoque etiam assentientibus pluribus ex Venerabilibus Præpositis Ordinis nostri, habita notitia de hujusmodi unione, non ignorantes discretam Ministram & Humiliatas dictæ domus nostræ S. Catharinæ Mediolani in Monasterio sub regulari observantia vitam cum odore bonæ famæ ducere Religiosam, & Deo acceptabilem, pro earum devota regulari observantia facilius observanda, unionem ipsam approbavimus. Et quia a nonnullis dubitatur aliquibus ex causis, quæ adduci possent, hujusmodi uniones viribus non subsistere, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in hoc Venerabili Capitulo nostro generali unionibus, annexionibus & incorporationibus prædictis, & omnibus & singulis in eis contentis robur nostræ & Capituli generalis confirmationis adjicere dignaremur. Nos autem earum piis votis eo magis annuere cupientes, quanto sexus feminei fragilitas ad ferendum Religionis propositum auxilio potiori noscitur indigere, attento quod in tanta numerositate creverunt, quod nunc in earum domo sive Monasterio Ministra & Humiliatæ in viridi observantia & sanctimonia ac debita clausura degunt, & devotione, & exemplo bonæ vitæ proficiunt, & multis exem-

exemplum bene vivendi præſtant; & ut animo quietius ac devotione ferventius in earum devoto propoſito perſeverare queant, præſentium tenore in hoc noſtro Generali Capitulo convocati omnes unanimi conſenſu, & omnibus melioribus modo, jure, via, cauſa, & forma, quibus melius poſſumus, prædictas uniones, annexiones & incorporationes, & quæcumque in eis contenta, & exinde ſecuta approbamus, ratificamus, confirmamus, & effectum ſortiri volumus, decernimus, & mandamus; & quatenus expediat, iterato domum ipſam S. Matthæi de Caſſiano (quam per præſentes, quatenus expediat, denuo extinguimus) dictæ domui S. Catharinæ Mediolani dicti ordinis noſtri unimus, annectimus, & incorporamus, ac unum corpus eſſe decernimus, quibuſcumque in contrarium diſponentibus nequaquam attentis, & in præſentia Venerabilium DD. Fratrum Joannis de Medicis Decretorum Doctoris S. Joannis Baptiſtæ Mediolani, Stephani de Nottis Decretorum Doctoris S. Trinitatis Mediolani, Benedicti de Crivellis S. Mariæ de Variſio Mediolanen. Dioc., & Baptiſtæ de Volunteriis S. Mariæ de Carobiolo Modoetiæ Mediolanen. Dioc., domorum Ordinis noſtri Humiliatorum Præpoſitorum his non conſentientium, imo contradicentium. In quorum omnium & ſingulorum fidem ac teſtimonium præſentes litteras in formam publici Documenti per Joannem de Gallarate publicum Imperiali auctoritate ac Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Notarium, & Cancellarium noſtrum redigi, & legi, & publicari juſſimus, & de ipſis inſtrumentum confici, & ſigilli noſtri generalis munimine roborari. Datum & actum in dicto loco Capitulari ſub anno Nativitatis Domini 1491. Indictione nona die Martis 19. menſis Aprilis, præſentibus ibidem diſcreto Religioſo Fr. Joanne Antonio de Ferrariis profeſſo domus S. Petri de Vicoboldono Mediolanen. Dioc. Ordinis noſtri Humiliatorum, prudenti viro Joanne Redulpho de Verano filio qu. D. Pauli Portæ orientalis Parochiæ S. Baylæ intus Mediolani, & Franciſco de Badagio

filio

filio D. Fatii Portæ novæ Parochiæ S. Eufebii Mediolani, teftibus omnibus idoneis ad præmiffa vocatis fpecialiter & rogatis.

Fr. Hieronymus de Landriano Ordinis Humiliatorum Magifter Generalis manu propria fcripfi & fubfcripfi.

Ego Joannes de Gallarate filius qu. D. Gabrielis Portæ Novæ Parochiæ S. Eufebii publicus Imperiali auctoritate, ac Curiæ Archiepifcopalis Mediolani Notarius, & præfati R. DD. Generalis Magiftri Cancellarius præmiffis omnibus & fingulis, dum, ficut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teftibus præfens fui, & inde juffu præfati R. D. Generalis prædictas litteras in formam publici documenti redactas legi & publicavi, & de eis inftrumentum confeci, & per alium, me aliis occupato negotiis, fcribi feci, & hic me fubfcripfi fignum meum apponens confuetum in fidem & teftimonium omnium & fingulorum præmifforum.

Maximiliani Mariæ Sfortiæ Mediol. Ducis Literæ ad Ludovicum Landrianum Vicoboldonenf. Præpofitum.

1514. 24. Dec.

Ex Fagnani Opere MS. de Mediolan. Familiis.

Literas hafce indicavimus Vol. I. pag. 276., eafque edere in animo erat. Sed cum, quæcumque memoratu digna in iis leguntur, ibidem excerpferimus, eaque tantum edenda cogitemus, ex quibus novi aliquid innotefcat, ab iis proferendis abftinemus; quod nifi fæpe præftitiffemus, monumentorum hæc feries in immenfum excreviffet.

S. Cæciliæ Humiliatorum Domus Romana Monialibus S. Mariæ in Campo Martio Ord. S. Benedicti conceditur.

15. Jun. 1517. Ex Cod. Puricell.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Animas lucrifacere Creatori, Ecclesiasque & habitationes Ecclesiarum conservare, ac in eis Divinum Cultum vigere, totis viribus procurantes, votis omnium præsertim S. R. E. Cardinalium, quæ ad hoc ut loca Religiosorum, quibus antea Conventualibus destituta Conventibus Religiosorum saltem Conventualitate lætentur, ipsæq. Religiosæ in eis Christo Domino suo Sponso in vestitu deaurato obviam ire, & accensis lampadibus cum eo ad nuptias intrare possint, tendere dinoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque Præpositura Domus Sanctæ Cæciliæ de Urbe Ordinis Humiliatorum (1), quam Dilectus Filius Noster Franciottus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis (2) in commendam ex concessione Apostolica nuper obtinebat, Commenda hujusmodi, ex eo quod illi hodie dictus Franciottus Cardinalis in manibus nostris sponte & libere cessit, Nosq. cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante Commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens, & sicut ipse Franciscus Cardinalis suo ac Dilectæ in Christo Filiæ Mauræ Modernæ Abbatissæ Monasterii Monialium S. Mariæ Campi Martii etiam de Urbe Ordinis Sancti Benedicti, quod per Abbatissam trien-

(1) De Romana hac Humiliatorum domo egimus Vol. II. pag. 113.

(2) Franciottus seu Franciscus Cardin. Ursinius, de quo V. Ciaconianam Cardinalium Seriem Tom. III. pag. 400. Edit. Rom. 1677.

triennalem ad præsens regitur nominibus nobis nuper exposuit, licet dicta Præpositura Ecclesiam amplissimam, quæ tituli Præsbyteri Cardinalis existit, & situm amplum cum Sacristia, Dormitorio, Refectorio, hortis, hortalieiis, & aliis Officinis pro Religiosorum ad in ea conventualiter habitandum, ac in dicta Ecclesia Missarum & horarum Canonicarum, & alia Divina Officia decantandum competenti numero necessariis & opportunis habeat: Nihilominus per quamplurimos annos habitu & non actu conventualis fuerit & existat, & Religiosis conventualiter viventibus caruerit & careat, nec inibi nisi ejusdem S. Cæciliæ, ac Stationis quæ inibi celebratur, & aliquibus paucis forsan aliis diebus horæ Canonicæ decantentur, ac Monasterium præfatum in quo plures Nobiles ac aliæ Moniales sub clausura & regulari observantia, ac bonæ famæ odore gratias Altissimo famulatu exhibere studentes degunt, opportunis ad earum, & aliarum inibi recipiendarum usum & commodam habitationem careat ædificiis, ac in eo sit situm loco, in quo propter vicinorum contiguas domos facile ampliari non possit, ac sic in eo commode tot Moniales habitare, & alias recipere nequeant; & propterea si dicta Præpositura in Monasterium Monialium dicti Ordinis Humiliatorum perpetuo erigeretur & constitueretur, ac illi sic erecto dicta Maura in Abbatissam quoad viveret præficeretur, & aliquæ Moniales dicti Monasterii S. Mariæ Mauram ipsam sequi volentes ad Monasterium erigendum hujusmodi transferrentur, ex hoc profecto conventualitati & regulari observantiæ, ac Divino Cultui in Monasterio erigendo, & Ecclesiæ S. Cæciliæ hujusmodi, illorumq. habitationis & ædificiorum conservationi plurimum consuleretur, & Moniales remanentes in dicto Monasterio S. Mariæ in eo commodius habitare valerent. Quare dictus Franciotius Cardinalis asserens fructus reditus & proventus dictæ Præpositura sexcentorum ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, suo & Mauræ nomini-

bus hujusmodi Nobis humiliter supplicavit, ut erectionem & institutionem hujusmodi facere, aliasq. in præmissis opportune providere ex benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Divinum Cultum & observantiam Regularem ubiq. vigere & augeri sinceris desideriis exoptamus, & eidem Monasterio erigendo, cum erectum fuerit, de Persona secundum cor nostrum utili & idonea, per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat, providere cupimus, sperantes quod dicta Maura, cui apud Nos de Religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, in spiritualibus providentia ac temporalibus circumspectione, aliisq. multiplicium virtutum donis, fide digna testimonia perhibentur, esse poterit multipliciter fructuosa, ipsamq. Mauram a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisq. Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutam fore censentes, verumque & ultimum dictæ Præpositturæ vacationis modum, etiamsi ex eo quævis generalis reservatio etiam in Corpore Juris clausa resultet, præsentibus pro expresso habentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium Præposituram præfatam quovis modo & ex cujuscumque persona vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ specialiter, vel quia Conventualis habitu, ut præfertur, existit, aut alias generaliter reservata existat, & ad eam consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datarum præsentium non sit in ea alicui specialiter jus quæsitum, cum illius Ecclesia, Sacristia, Dormitorio, Refectorio, ortis, orticidiis, habitationibus, bonis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & per-

& pertinentiis quibuscumque, in Monasterium Monialium dicti Ordinis Humiliatorum per Abbatissam perpetuam regendum sub invocatione ejusdem S. Cæciliæ perpetuo erigimus & instituimus; ac Dignitatem & nomen Præpositure & Conventualitatem inibi Fratrum & dependentiam, nec non obtinendi dictam Præposituram, ac de illa quomodolibet disponendi, & in ea habitandi, ac de illa & bonis suis se intromittendi, & aliud quodcumque jus Fratribus & Superioribus dicti Ordinis Humiliatorum inibi quomodolibet pertinent perpetuo supprimimus & extinguimus, ac inibi statum Fratrum & Virorum in statum Monialium perpetuo mutamus; nec non eidem Monasterio S. Cæciliæ per erectionem hujusmodi apud Sedem præfatam vacanti, de cujus provisione pro eo quod Nos dudum provisiones Ecclesiarum & Monasteriorum omnium apud Sedem eandem tunc vacantium & in ea vacaturorum ordinationi & dispositioni Nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscunque..... Auctoritate Apostolica scienter vel ignoranter contigerit attentari; nullus præter nos hac vice disponere *potuit* sive potest de persona ipsius Mauræ providemus, ipsamque in Abbatissam quoad vixerit, præficimus, curam regimen & administrationem ipsius Monasterii S. Cæciliæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, nec non Monialibus dicti Monasterii S. Mariæ eamdem Mauram sequi volentibus se una cum earum dotibus & bonis, si ad hoc Dilectarum in Christo Filiarum Conventus dicti Monasterii S. Mariæ expressus accesserit assensus, ad ipsum Monasterium S. Cæciliæ transferendi, & inibi remanendi, eisque, nec non dictæ Mauræ, postquam regiminis & administrationis dicti Monasterii S. Cæciliæ, & illius bonorum seu majoris partis eorum pacifice assecuta fuerit, se habitui & regularibus institutis Monialium dicti Ordinis Humiliatorum conformandi plenam & liberam licentiam & facultatem tribuendo, & nihilominus eidem Monasterio S. Cæciliæ ac illius Abbatissæ, Monialibus, & Personis

pro

pro tempore exiſtentibus ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, facultatibus, indultis, & gratiis, quibus alia quæcunque Monaſteria Monialium dicti Ordinis Humiliatorum, illorumque Abbatiſſæ, Moniales, & Perſonæ de jure ſive conſuetudine vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, de ſpeciali gratia indulgemus. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Caſertinenſi & Piſaurienſi Epiſcopis, Dilecto Filio Paulo de Capiſuccis Canonico Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque plenum effectum ſortiri, illiſque Mauram præfatam, ac omnes & ſingulos, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui & gaudere, nec permittant quemque contra tenorem præſentium modo aliquo moleſtari, impediri, aut inquietari, Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; nec non Monaſteriorum & Ordinum præfatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis ac Litteris Apoſtolicis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & Nos ad dictam Sedem etiam per viam generalis Legis & Statuti perpetui, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, cum quibuſvis irritativis, caſſativis, revocativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod Monaſteria & Præpoſituras ac Beneficia dicti Ordinis Humiliatorum

pro

pro tempore obtinentes ab eis per Generalem dicti Ordinis Humiliatorum, ac ad ejus liberum nutum amoveri possint. Quibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis & individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia mentio, aut exquisita forma servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, nec non modos & formas ad id servandas pro in individuo servatis habentes hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Præposituris hujusmodi speciales vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in dicta Urbe generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus Litteras impetrarunt, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque ad ipsam Præposituram volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Præpositurarum ac Beneficiorum aliorum præjudicium generari, sive si Generali nunc & pro tempore existenti ac Diffinitoribus & aliis Personis Capituli ac Fratribus dicti Ordinis Humiliatorum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quo ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint: quodque de Præposituris hujusmodi vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis dicti Ordinis Humiliatorum nullatenus disponi possit per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem; & quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis ac Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri

diri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quoruncumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis, nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, voluntatis, suppressionis, extinctionis, mutationis, provisionis, præfectionis, Indulti, intenti, derogationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ in Arce S. Angeli (1) Anno Incarnationis Dominicæ 1527. septimo Kalendas Julii Pontificatus Nostri Anno IV.

(1) S. Angeli arcem tenebat per id tempus Clemens VII., in quam, post Urbem a Cæsareis copiis vi expugnatam, se receperat.



Excerpta

ex Tabulis, quibus Florentini Humiliati

S. Luciæ ædes Canonicis Regul. S. Salvatoris permittunt:

1548. 27. Aug. ex Monum. ap. Cl. Mannium.

IN Dei Nomine. Amen. Anno Domini nostri Jesu Christi ab ejus salutifera Incarnatione millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, indictione sexta, & die XXVII. Mensis Augusti. Actum Florentiæ in Ecclesia omnium Sanctorum Ordinis Humiliatorum, & in Sacrario dictæ Ecclesiæ præsentibus &c. Mattia Lazzeri de Montalto Regiensi, & Silvestro Rodulfi de Padua famulis infrascripti Domini Commissarii. Publice pateat, qualiter cum sit, quod olim de anno 1529. dum Florentina civitas se bello accingeret, demoliri fecerit Ecclesiam & Monasterium

rium Sancti Donati vulgariter nuncupatum *San Donato Scopeto* juxta mœnia Florentina Ordinis & Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Augustini, & quod subinde propterea Fratres & Prior dicti Monasterii se receperint intra mœnia Florentina in Ecclesia Sancti Petri vulgariter nuncupati *San Piero in Gattolino*, quam tenuerunt ... usque ad annum proxime elapsum vel circa, quo tempore pro munienda dicta Civitate, ac novis mœniis, munitionibus, & propugnaculis hedificandis, oportuit etiam dicta Ecclesia Sancti Petri *in Gattolino* demoliri, ita ut denuo necesse habuerint novam habitationem & Ecclesiam perquirere. Et cum Illustrissimus & Excellentissimus Dominus noster Dominus Cosma Medices Florentiæ Dux secundus, cupiens providere dictis Priori & Fratribus Sancti Donati de Scopeto de aliquo loco idoneo in recompensam, ubi possint constituere alium Conventum, & Deo juxta eorum morem & regulam jugiter famulari, requiri fecerit Priorem & Fratres Ecclesiæ & Conventus Omnium Sanctorum Ordinis Humiliatorum de Florentia, quod si eorum Ecclesiam Sanctæ Luciæ sitam Florentiæ juxta pratum omnium Sanctorum, una cum Cimiterio, domo, & horto & aliis suis mansionibus & pertinentiis, & cum brachiis centum tribus per latitudinem, & brachiis centum duobus per longitudinem horti proprii dictæ Ecclesiæ & conventus omnium Sanctorum præfatis Priori & Fratribus Sancti Donati de Scopeto concederent, quod propterea consequerentur dicti Fratres & Prior omnium Sanctorum plenam liberationem & cancellationem totius debiti ... quo tenentur Cameræ Apostolicæ ....., & cum sic, quod dicti Fratres & Prior omnium Sanctorum considerantes hujusmodi concessionem fore sibi utilem ... dictam eorum Ecclesiam Sanctæ Luciæ, ut supra, præfato Illm̃o Duci concesserint .... cum pactis ... circa regimen & jus parochiale dictæ Ecclesiæ .... Ideo hodie hac præsenti subscripta die constituus in præsentia Rev. Domini Hyppoliti Pagani Re-

 giensis

gienfis Commiffarii Apoftolici, nec non mei Notarii infrafcripti, & teftium fuprafcriptorum Magnificus vir & Excellentiffimus Juris utriufque Doctor Dominus Lælius Taurellus de Fano dicti Illmi Domini noftri Cofmæ Medices Florentiæ Ducis Auditor & Secretarius....... dedit & conceffit.... Rev. Fratri Placito Bernardi de Corfinis Priori dicti Monafterii Sancti Donati, & Fratri Serafino Andreæ de Florentia, & Fratri Amedeo Johannis Baptiftæ Bononienfi Canonicis Regularibus Congregationis Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Auguftini, ac Fratribus dicti Conventus Sancti Donati ..... fuprafcriptam Ecclefiam Sanctæ Luciæ &c. Quibus omnibus & fingulis fuprafcriptis auditis & confideratis idem Rev. Dominus Hyppolitus Paganus Commiffarius prædictus, attendens hujufmodi conceffionem fuiffe & effe honeftam & utilem dictis Ecclefiis, eidem confenfit &c.

Rog. per Petrum olim Soldi Andreæ de Savellis Civem & Notarium Florentinum.



MONITUM.

PLura alia Monumenta, quæ ad poftrema hæc Humiliatorum tempora pertinent, præ manibus habemus. Sed ab iis edendis confulto abftinemus. Nonnulla enim, quæ præfertim Humiliatorum emendationem a SS. Pio V. & Carolo Borromeo fufceptam fpectant, vulgata jam funt, eaque commemoravimus. Vol. I. Differt. VIII. Alia vero aut nihil continent, quod lucem mereatur, aut ita prolixa funt, ut Voluminis molem nimium fint auctura. Hujufmodi præfertim funt Acta omnia, quæ ad S. Agathæ Bergomenf. Humiliatarum Cœnobium pertinent; quæ proinde fuo loco indicaffe, nempe Vol. II. pag. 71. &c., fufficiat. Poftremo loco Monumentum edere in animo fuerat, quo tres ex Humiliatis Pontificis juffa, qui Humiliatorum cœtum extinxerat, detrectare aufi funt; ut diximus Vol. I. pag. 429. Sed cum nihil aliud fere contineat, quam folemnes juris formulas, quæ in proteftationibus, ut ajunt, ufurpari confueverunt, hoc etiam omittimus, & ad Conftitutiones in Generalibus Humiliatorum Comitiis editas proferendas accedimus, quarum lectionem jucundiorem multo, atque utiliorem fore fperamus.

HUMI-

HUMILIATORUM CONSTITUTIONES

IN GENERALIBUS COMITIIS EDITÆ.

Fratris Beltrami (1) *Magistri Generalis, & cum eo Definitorum Capituli Generalis in Domo S. Kalimeri Mediolani Prologus in tres proximas Constitutionum Distinctiones.*

QUoniam quidem conveniens est, ut qui sub unius Professionis & Regulæ voto vivunt eisdem Constitutionibus & consuetudinibus informentur, iccirco Nos Magister, & Definitores Capituli Generalis Ordinis Humiliatorum Constitutiones infrascriptas duximus promulgandas, & prout scriptæ sunt inferius, sub certis titulis, ab universis Personis Ordinis nostri censuimus observandas. Quarum Opusculum in quadraginta Capitula vel Rubricas sub Distinctione fuit triplici comprehensum. Prima namque Distinctio decem & octo Capitula comprehendit, secunda vero tredecim, tertia autem novem.

N 2 *Inci-*

(1) Beltramus hic Generalis Magister, a quo Constitutiones hujusmodi digestæ fuerunt, idem esse creditur a nonnullis, qui primus Magistri Generalis dignitate an. 1145. ornatus fuit, ut diximus Vol. I. pag. 101. Sed Beltramum secundum hic intelligi, qui ab an. 1309. ad an. 1317. Humiliatis præfuit, certissimum est. Videbimus enim Bonifacii VIII. Constitutionem de Monialium Clausura hic commemorari Dist. II. Cap. IV. Porro Bonifacius solum exeunte an. 1294. Pontifex renunciatus est. Præterea post Constitutiones a Beltramo editas aliæ adduntur an. 1318. latæ. At vero, si Beltramus I. illas promulgasset, vix potuisse fieri videtur, ut per tot annos nullas alias Constitutiones Humiliati conscripserint. Videmus etiam Benedicti XI. literas memorari, quibus Præpositis nonnullis, ac præcipue Alexandrinæ domus S. Joannis Visitationis jus interdicit. Itaque dubitare non possumus, quin Beltramo alteri Constitutiones hujusmodi sint tribuendæ.

Incipiunt Constitutiones Ordinis Humiliatorum, correctæ de mandato Domini Fratris Magistri, & de consilio Definitorum Capituli Generalis ejusdem Ordinis.

PRIMA DISTINCTIO.

De Constitutionibus. Capitulum I.

COnstitutiones Ordinis Nostri non ad culpam obligent animam, sed tantum corpus ad pœnam, nisi propter præceptum vel contemptum, duximus statuendum. Super quibus omnibus & singulis Dominus Magister, utilitate, & necessitate pensatis, dispensare poterit, non tamen in præcipuis & arduis negotiis, absque consilio & consensu omnium, vel saltem duarum partium eorum, qui ipso anno extiterint Definitores, si eos habere commode poterit, vel loco ipsorum, aliorum totidem de Ordine Discretorum. In minoribus vero negotiis, utatur consilio aliquorum Præpositorum, aut Prælatorum Ordinis sui. Quas quilibet Præpositus & Prælatus in Domo sua habere studeat, & ipsas in Capitulo vel Definitorio annis singulis legi faciat bis ad minus. Interpretationes vero Constitutionum, vel Constitutiones, quæ de cætero fient a Capitulo Generali, non habeant vim Constitutionis, donec per tria Capitula Generalia approbentur. Ita quod nec Generale Statutum Ordinis, vel consuetudinem diu obtentam, & communiter approbatam Magister vel Definitores aliquatenus deinceps valeant immutare, nisi per tria Generalia Capitula fuerit approbatum.

De

De Officio & Poteſtate Vicariorum. Cap. II.

VIcarii in Vicariis ſuis habeant poteſtatem eandem quam Magiſter, excepto quod non poſſint electos Præpoſitos approbare, aut eorum electiones caſſare, vel confirmare, aut confirmatos deponere, vel venditiones, commutationes, inveſtituras, aut impignorationes ratificare, nec ſuper Conſtitutionibus Ordinis diſpenſare, ſeu Conventum aliquem, cujus Viſitatio eis in Generali Capitulo commiſſa non fuerit, viſitare; licet de ſingularibus Perſonis hujuſmodi Conventus, quum aliqua de eis incurrit infamia, inquirere valeant, & ipſas punire, ac juſtitia exigente, ad Domum aliam ſuæ Vicariæ tranſmittere; extra vero ſuæ Vicariæ fines mittendi aliquem ſine Domini Magiſtri licentia non habeant facultatem: niſi tunc demum quum caſus evenerit, propter quem non commode valeat in ſuis Vicariis, aliis Conſtitutionibus inhibentibus, collocari.

De Eccleſiis & Domibus. Cap. III.

ECcleſiam ſeu Domum de novo fundare, vel fundatam ad locum alium transferre, aut locum alterius Religionis Ordini Noſtro incorporare, ſeu Parochialem Eccleſiam ſub Cura ſua, aut protectione recipere, nulli liceat abſque licentia Domini Magiſtri, & Capituli Generalis. Conſtruantur autem feneſtræ, ubi commode fieri poterit, in muris ipſarum Eccleſiarum, unde Sorores videre valeant Corpus Chriſti. In Eccleſiis vero & Oratoriis, in quibus Sorores habent Altaria, communicentur ad ipſa, & candelas, & cineres recipiant, & olivas. Si qua nempe Domus pauperiem intolerabilem incurrerit, Præpoſitus, vel Prælatus illius Domus hoc ſtudeat Generali Capitulo intimare, & tunc ſinguli charitatis igne ſuccenſi ejuſdem Domus penuriam ſtudeant & feſtinent, prout potuerint, relevare. Unaquæque Eccleſia, ſeu Domus, non dividatur in plures, nec plures uniantur in unam abſque Do-

Domini Magistri licentia, habito super hoc Consilio Ordinis Discretorum, prout in Privilegio de unionibus continetur. Sorores autem Domorum Fratres non habentium, quum ultra quatuor non fuerint in Domibus, aliis uniantur. Omnes autem uniones per Dominum Magistrum jam factæ, & in posterum faciendæ, postquam factæ fuerint, nullatenus dissolvantur, sed robur obtineant perpetuæ firmitatis. In Domibus vero Ecclesiam non habentibus, vel quæ si habent Ecclesiam, non habent unde tenere valeant Sacerdotes, receptiones omnino fieri prohibemus; & si factæ fuerint, easdem decernimus non valere: & nihilominus contrafacientes puniantur, ut notatur in Rubrica de pœnis suspensionis. Conventus quoque vel Domus Ordinis Nostri, competentes possessiones vel reditus, quibus decenter & honeste vivere valeant, non habentes, per Dominum Magistrum, vel per alios, quibus hoc duxerit committendum, per Domos alias Ordinis dividantur. Præbentes autem consilium, auxilium vel favorem, quominus uniones sic factæ permaneant, vel unde possit evenire dissolutio earundem, pœna plectantur, ut in Capitulo de pœna culpæ gravioris, inferius adnotata.

De Clericis Primi Ordinis. Cap. IV.

CLericorum numerum, prout hic determinatum est, Canonica quælibet recipere studeat, & habere: videlicet de Rondenario duodecim, de Vicoboldono sexdecim, de Vigalono Papiensis sex, Sancti Christophori de Laude octo, Omnium Sanctorum Laudensis sex, de Galgari duodecim, Sanctæ Crucis Novariensis octo, de ultra Ticinum Papiæ duodecim, Sancti Joannis de Alexandria viginti, Sancti Christophori Vercellensis duodecim, Sancti Simonis Novariensis decem, Canonicæ novæ Mediolani duodecim, Portæ Orientalis duodecim, Portæ Vercellinæ decem, de Monte Calerio sex, Sancti Quirici Astensis octo, Sanctæ Mariæ de Foro de Alexandria octo, de Mirasole septem, Sanctæ Trinitatis

nitatis Mediolani octo, Domus Dei Astensis decem, de Florentia viginti, de Terdona decem, de Taurino decem, de Clavasio sex, Sanctæ Marthæ de Janua viginti, de Pisis sex, de Alba sex, de Senis duodecim, de Pinarolo quatuor, Sancti Germani de l'Aquazola Januensis octo, Sancti Jacobi de Bononia sex, Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pistorio sex, Sancti Syri de Alexandria quatuor, Sanctorum Jacobi & Philippi de Modoetia octo, Sanctæ Mariæ Novæ de Casali Sancti Evasii quatuor, Domus de Zeno de Cumis quatuor, Domus de Quarginto de Alexandria decem, Domus de Porris quatuor, Domus Sancti Petri de Modoetia duodecim, Domus Sancti Olderici Papiæ quatuor. Poterunt tamen, qui voluerint & valuerint, Clericos habere ultra numerum determinatum. Dominus siquidem Magister quemlibet inducat Conventum ad habendum numerum Clericorum sibi præscriptum. Recipiendi autem Clerici sciant competenter legere & cantare, ita ut secundum Regulam ædificare valeant audientes; & ad recipiendum tales quilibet Conventus usque ad numerum superius determinatum, quam cito commode poterit, teneatur. Quod si ex ipsis quemquam contingat decedere, debeant recipere alium loco ejus. Si qui autem Fratres pro recipiendis hujusmodi Clericis, quum in Capitulo propositi fuerint, consentire noluerint, vel distulerint, dummodo recipi tales alia Constitutio non prohibeat, eorum dissensu nequaquam obstante, talium Clericorum receptionem per Fratres alios faciendam, vi Constitutionis hujus valere decernimus, & dissentientes voce ulterius Fratres recipiendi, & Præpositum eligendi ex nunc prout ex tunc privatos esse pronunciamus, usquequo fuerint per Dominum Magistrum, aut per Generale Capitulum restituti, sicut habetur in Rubrica de pœnis spiritualibus. Sacerdotes vero, & Clerici etiam Novitii ubique Fratribus Laicis præponantur, & in Ecclesia Sacerdotes Sacerdotibus socientur. Qui vero pro Clericis recipiuntur, statim in ingressu suo per Barbitonsorem tantum tonsuram re-

recipiant, & coronam. Transmissum autem sibi nullus Præpositus præsumat sine consensu sui Præpositi facere ordinari, neque in Apostasia ordinatum intra Domum recipere ulla occasione, & contrafacientes puniantur, ut habetur in Rubrica de pœnis culpæ gravioris. Clerici quippe Simoniaci existentes, vel excommunicati, qui immiscuerint se Divinis, & qui in Apostasia fuerint ordinati, suis non utantur Ordinibus, & ad alios non attendant, donec secum auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum. De cætero autem nullus receptus pro Laico in Clericum, aut pro Converso in Fratrem valeat promoveri. Si quis autem contra Constitutionem hujusmodi absque Domini Magistri licentia promotus fuerit, talis promotio nullius penitus sit valoris, & contrafacientes puniantur, ut habetur in Rubrica de pœnis suspensionis.

De Horis & Officio Ecclesiæ. Cap. V.

HOrarum omnium, & Missæ modus, qui scriptus est in Ordinario, & prout scriptus est ab omnibus observetur, nil addendo, vel diminuendo, excepto quod Calicem liceat elevare (1), ita quod possit retro astantibus apparere, & facere Commemorationem ad Vesperum & ad Matutinum post Orationem diei, primo de Festo sequentis diei, si in crastino sit aliquod Festum, deinde de Sanctis Ecclesiæ propriæ; si voluerint postmodum, de Sancto Benedicto, ad Vesperum per Antiphonam *Glo-*

(1) Hostiæ & Calicis post Consecrationem elevatio serius in Ecclesia invaluit; eamque Berengarii ætate usurpari cœpisse plerique existimant, ut Eucharistiæ honor augeretur; non ita tamen, ut omnibus Ecclesiis communis esset. Calicis vero potissimum elevatio apud multos ex Religiosis Cœtibus multo serius inducta est. Hac de re V. Bona *Rer. Liturg. Lib. II Cap. XIII.* Martene *de antiquis Monach. Ritibus Lib. II. Cap. IV. §. III.* Benedict. XIV. *de Sacrif. Missæ Lib. II. Cap. XV. num.* 27. Hac itaque de caussa præcipua hic Calicis elevandi fit mentio, eaque in re ab *Ordinario* recedere permittitur, in quo illa non præscribebatur.

Gloriosus, ad Matutinum per Antiphonam *Vir Domini*, & postremo de Beata Maria. Dicentur quoque diebus Dominicis ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, & a *Deus omnium* usque ad Adventum, Antiphonæ de Trinitate, videlicet super Psalmum ad Laudes Antiphona, *Te jure laudant*, ad Primam Antiphona, *Gloria tibi Trinitas*, ad Tertiam autem Antiphona, *Laus & hymnus*, ad Sextam Antiphona, *Gloria laudis*, ad Nonam Antiphona, *Ex quo omnia;* & in omnibus Sabbatis totius Anni Officium & memoria Beatæ Mariæ, prout in Libris Ordinis notatum est. Per Octavas autem Assumptionis, & Nativitatis ejusdem cantabitur post Completorium *Salve Regina*. Quandocumq. autem dicuntur duæ Horæ sine intervallo, in fine primæ Horæ non dicitur *Fidelium Animæ*, nec *Pater noster*, nisi semel tantum. Qui autem non accurrerit ad Gloriam primi Psalmi, ante gradus (3) satisfaciat. Poterit utique qui major fuerit in Choro, post satisfactionem ei licentiam concedere eundi ad locum suum. Præpositus vero, vel Prælatus, & ipso absente ejus Vicarius, post satisfactionem sine alterius licentia redeat ad locum suum, nisi alius in Choro Præpositus, vel Prælatus major existat. Collationis autem hora pulsato primo signo Completorii, pulsetur campana Refectorii, & tunc omnes Fratres conveniant ad Collationem; & facta Collatione, omnes exeant, & Ecclesiam ingrediantur cum summo silentio. Ubi vero Generale Capitulum celebratur, omnes surgant, & conveniant ad Matutinum. Prima die Capituli fiat major Missa de Spiritu Sancto, sicut in principali Festo, aliis autem diebus fiat sicut in Duplicibus. In cæteris nihilominus Domibus ipsa die Capituli Missa Matutinalis erit de Spiritu Sancto, in principali Festo, & ipsa die Capituli ab omnibus

(3) *Ante gradus*, nempe ante gradus Presbiterii, ut explicat Cangius (Gloss. Lat. ad v. *gradus*), seu qui jacent extra cancellos. Satisfacere porro idem est, ut ex contextu patet, ac genibus flexis consistere.

nibus Sacerdotibus privatim dicatur, nisi pro præsenti Defuncto impediatur. In elevatione autem Hostiæ Salvatoris, minor campana de campanili pulsetur uno ictu, & omnes qui audierint intra Septa Canonicæ seu Domus locis idoneis flectant genua. Qui vero fuerint in Ecclesia sic genuflexo maneant super formas (4) donec Sacerdos dixerit *Per omnia Sæcula Sæculorum*. Ad Horas vero in fine Orationum non dicitur *famulas*, sed tantum *famulos tuos*. Laici namque litteras nescientes, pro singulis Horis diei dicant septem *Pater noster*, & semel, *Miserere mei Deus*, & pro Horis Beatæ Mariæ quinque *Pater noster*, & pro Matutino diei quindecim ad minus, & ter *Miserere mei Deus*, & pro Beata Maria decem *Pater noster*, & ad Primam, & Completorium, qui sciunt, *Credo in Deum*.

De Festivitatibus feriandis. Cap. VI.

FEstivitates feriandæ, seu servandæ sunt videlicet, Nativitas Domini, Sanctorum Stephani, Joannis Evangelistæ, Circumcisio, Epiphania, omnes Festivitates Beatæ Mariæ, Matthiæ, Benedicti, Parasceves, Resurrectio Domini, secunda & tertia feria de Albis, Jacobi & Philippi, Ascensio Domini, Pentecosten, Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Mariæ Magdalenæ, Jacobi Apostoli, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Michaelis, Simonis, & Judæ, Omnium Sanctorum, Martini, Andreæ, Thomæ Apostoli; & alia Festa, quæ ab aliis vicinis Sæcularibus servantur (si expedire visum fuerit) ferientur, ne alias ex hoc Sæcularibus scandalum generetur. De omnibus quoque Festivitatibus Officium fiat, ut in Ordinario continetur, ita dumtaxat quod duplicibus Festis addantur Sanctorum Evangelistarum Marci & Lucæ, & quatuor Doctorum scilicet Gregorii, Ambrosii,

(4) *Formæ*, Cangio teste (gloss. ad hanc vocem) idem est ac locus, ubi Monachi in Choro canunt.

brosii, Augustini, & Hieronymi, & inter Duplicia ipsa numerentur (5).

De electione Præpositorum, Prælatorum, & Magistri Generalis.
Cap. VII.

Electiones Præpositorum præsenti Statuto per hunc modum decernimus celebrandas. Nam cuilibet electioni Dominus Magister interesse debet, vel ejus Nuntii speciales, qui in Capitulo personaliter existentes, vocatis prius, & citatis omnibus qui electioni debent, & possunt commode interesse, & facta denuntiatione, quod nullum intendunt ad ipsam electionem admittere, per cujus præsentiam posset electio vitiari, jubeat ipse Dominus Magister, vel illi, qui ejus ad illud negotium vices gerunt, toti Capitulo, quod unum communiter eligant vel assumant, qui Spiritus Sancti gratia invocata, tres eligat de ipso Conventu probatæ vitæ ac religionis expertæ, ipsosque nominet Scrutatores, quorum duo Clerici debent esse, & unus Laicus, si aliquis fuerit inter eos; (alioquin omnes Clerici debent esse). Qui tres sic electi, cum Generali Magistro, vel vicem ejus gerentibus in scrutinio vota primo sua, & demum Fratrum omnium & singulorum audiant, & examinent diligenter, & in scriptis eadem redigentes, ac postmodum per unum ex ipsis in communi ipsa vota coram omnibus publicentur; & habita ibi numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum collatione solemni, unus ex illis Scrutatoribus electionem vel postulationem in scriptis pronuntiet in hac forma: Ego Frater N. in Christi nomine, meo nomine, & nomine ac vice Collegarum meorum

(5) SS. Evangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum festa duplici ritu celebrari jam jusserat Bonifacius VIII., ut ostendit Benedictus XIV. *De Beatif. & Canoniz. Lib. IV. P. II. Cap. XIII. num. 6.* Sed id forte in Humiliatorum *Ordinario*, quod Bonifacii ætate antiquius erat, nondum præscriptum fuerat.

Scrutatorum, ac in his omnium consentientium, & quorum interest, eligo Fratrem N. de tali Conventu in meum & Domus Præpositum & Pastorem, & eamdem electionem pronuntio in his scriptis. Ubi autem dicitur *eligo* debet dici *postulo*, si quis Præpositus in aliam Præposituram fuerit postulatus. Tandem vero a Generali Magistro, vel vicem ejus gerentibus peremptorius terminus assignetur, infra quem possit & debeat, qui vult & intendit opponere electioni vel postulationi, vel Personæ electæ vel postulatæ, nisi velit ibidem renuntiare termino oppositionis prædictæ. Scripturis autem inde factis, & litteris ipsorum Præpositorum, ad ipsas electiones faciendas Generalis Magistri vices gerentium, vel super hoc mandatum habentium ab eodem, fides omnimoda tribuatur, sicut adhiberi solet & debet publicis Instrumentis. Modus autem ac forma hujusmodi eligendi, in quantum competere eis potest, servetur in electionibus Prælatorum, præcipue in illis Domibus, in quibus major est Congregatio seu Conventus. Mortuo autem, vel regulariter amoto Magistro, Præpositi de Rondenario, & de Vicoboldono, & Prælati de Brayda, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Brixiensis habeant, quousque Magister sit electus, ipsius plenariam potestatem, & eis tanquam Magistro teneantur omnes in omnibus obedire. Quando autem ipsis videbitur, pro eligendo Magistro convocabunt Capitulum Generale, in quo celebretur electio isto modo; videlicet quod Præpositi Domus de Rondenario de Cumis, de Vicoboldono Mediolani, Prælati Domus Braydæ Mediolani, & Domus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Gambara Brixiensis, eligant duos Præpositos, & duos Prælatos, Viros idoneos & discretos; scilicet unum Præpositum, & unum Prælatum de Mediolano, & totidem extra Mediolanum, qui audiant voces omnium in Capitulo vocem habentium, videlicet omnium Præpositorum, & viginti novem Prælatorum de Mediolano & de Comitatu, & totidem extra Mediolanum. Qui quidem omnes & singuli Præpositi & Præ-

Prælati suprascripti eligent viginti quatuor Electores, Præpositos scilicet duodecim, & Prælatos duodecim, de quibus sint sex Præpositi, & sex Prælati de Mediolano, & sex Præpositi & sex Prælati extra Mediolanum. Ipsi vero vigintiquatuor postquam fuerint nominati, & nulli alii, claudentur omnes in una domo, non egressuri inde, sed neque cibum sumpturi, donec Magistri electionem juxta modum perfecerint constitutum. Ipsis proinde congregatis licebit publice primitus atque communiter conferre, de persona idonea in Magistrum assumenda tractare. Deinde communiter & concorditer advocent ad se quatuor ex aliis, qui in Capitulo intersunt, duos de Mediolano, & duos extra Mediolanum, Viros idoneos & discretos, de quibus credatur probabiliter, quod neuter illorum eligi valeat in Magistrum. Isti quatuor ergo simul in congruo loco manentes per secretam examinationem audiant, & conscribant vota omnium Electorum, ut in quem omnes, vel saltem duæ partes videlicet sexdecim convenerint, prius inter Electores scrutinio publicato, & habita collatione debita, per unum ex Electoribus præsentibus cæteris & consentientibus, coram Capitulo universo publice in Magistrum Ordinis eligatur. Si autem in scrutinio primo Electorum vota in aliquem modo non convenerint supradicto, per prædictos quatuor tandiu scrutinium replicetur, donec duas partes Electorum in personam unam contigerit concordare.

De Resignatione. Cap. VIII.

RESignare suæ Præpositura, vel electioni de se factæ, aut ipsi electioni consentire absque Domini Magistri licentia nemo præsumat. Contrafacientes puniantur, ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris. Si quis prævaricator Ordinis, vel Gregis sibi commissi vitiis consentiens extiterit, & per Dominum Magistrum aut Visitatores admonitus usque ter non emendaverit; si sponte resignare noluerit, Dominus Magister cum consilio quatuor Præposi-

positorum majorum, & etiam aliorum, quos & quot convocare voluerit, ipsum deponat ab Officio Præpositura, & contra ipsum procedat suis demeritis exigentibus, Justitia mediante: sponte vero cedentem consoletur, rigore tamen Constitutionum Ordinis non omisso. Nulli etiam Professo liceat absque proprii Conventus licentia ad Domum aliam, manualem præstando obedientiam se transferre: Et qui obtenta licentia transierit ad Domum aliam, nihil omnino præter pannos de dorso & lecto, portare aliquo modo quovis vel ingenio præsumat, quasi pro parte sibi contingente, nec licentia in contrarium obtenta valeat, vel pactum, vel alia quælibet obligatio habeat aliquam firmitatem. Veruntamen in Præpositi ad Præposituram aliam electi erit arbitrio, postquam per Dominum Magistrum approbatus fuerit, suo requisito Conventu utrum velit in jam adepta permanere, an ad aliam, ad quam electus est, se transferre. Quandocumque autem Domino Magistro, vel Visitatoribus intimatum fuerit, Præpositum aliquem simoniace electum fuisse; mox super hoc veritatem inquirat, & si ita fuerit, vel invenerit, electionem ipsam pronuntiet esse nullam. Privetur quoque omni prælatione, & dignitate, qui procuranti redire ad Domum suam contra voluntatem Domini Magistri, vel Vicariorum ejus, aut Visitatorum, cum aliquo actu violento, aut Potentum aut Parentum auxilio invocato, consilium, auxilium, vel favorem præstiterit redeundi: & puniatur ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris. Resignatio vero alicujus Præpositi non valeat, nec alicujus firmitatis vel vigoris existat, sed pro nulla omnino habeatur, nisi in manibus Domini Magistri fuerit facta, vel ejus Nuntii ad recipiendum hujusmodi resignationem specialiter deputati. Magister autem Ordinis, si prævaricator Ordinis extiterit, aut contemptor, vel adeo negligens, vel remissus, quod dissolutionem Ordinis inducat, admoneatur a Definitoribus, ut se corrigat & emendet: & si monitus semel & iterum non emendaverit, tunc inducatur, ut sponte Magisterio ce-

cedat, & locum sibi eligat ad manendum: alioquin ipsum amovendi ab Officio liberam habeant facultatem. Cessio autem ejus non admittatur a Definitoribus, nisi ob defectum vel impotentiam, quæ ipsum ab Officio Magistratus perpetuo impediret. Perpetuum autem dicimus, quod Definitores de consilio prudentum judicabunt.

De Novitiis. Cap. IX.

NOvitius ad Ordinem recipiendus examinetur de Fide Catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis: Examinetur si cum aliqua palam vel occulte contraxit per verba de præsenti, vel de futuro, quam postea carnaliter cognorit, & si sic, qualiter fuerit separatus ab ea, si alterius Religionis vel Ordinis sit Professus, si sit legitimus, si servus sit, si debitis, vel ratiociniis sit obligatus; si infirmitatem habeat aliquam, vel pravam corporis qualitatem, propter quam fieret aliis onerosus, si membrum habeat aliquod mutilatum, vel inefficax quoquo modo, si aliqua excommunicatione sit ligatus. Clericus vero circa irregularitatis articulum specialiter exquiratur. Et tandem adductus in Capitulum, prosternat se ante pedes Præpositi vel Prælati, a quo interrogatus quid quærat, respondeat: *Dei misericordiam & vestram;* Cui erecto Præpositus vel Prælatus: *Qui cœpit in te, ipse perficiat:* Et responso a Conventu, *Amen*: inclinat se, & recedens ducatur ad hospitium. Tertio die detur sibi habitus, & ab inde incipiatur annus probationis. Iisdem horis, quibus alii Fratres, & cum eis vadant ad Ecclesiam, operentur, legant, dormiant, & quiescant, cibis vescantur, & pannis induantur eisdem. Caputium & honesta erunt de verdeto, vel de beretino (6), ad differentiam Professorum. Professi alterius Ordinis nullatenus recipiantur in Ordine nostro, nec etiam pro Capellanis in secundo ordine, sine licentia Domini Ma-

(6) Hujus discriminis in vestium colore rationem V. Vol. I. pag. 23.

Magiſtri, & Capituli Generalis. Sed nec Conjugati profiteri poſſint Ordinem noſtrum, niſi mutuo coram Epiſcopo vel ejus Vicario promiſerint caſtitatem; de qua promiſſione conſtet per publicum Inſtrumentum. Quod ſi ignoranter recepti fuerint, dum cognitum fuerit, ejiciantur. Nullo quoque modo Puer minor annorum quatuordecim, nec Puella minor duodecim recipiantur; neque ulla omnino Mulier, niſi ſuper hoc in Generali Capitulo fuerit diſpenſatum. Præpoſiti vero vel Prælati, qui ita debitis aut alio gravamine ſunt oppreſſi, ut Fratres ſuos per Domos alias diſpergere compellantur, quandiu gravamen illud duraverit, & Fratres ſuos non revocaverint, nullum omnino in Fratrem recipere valeant, nec in familiarem, niſi talis eſſet Perſona, unde poſſet, ſi non reciperetur, damnum magnum vel ſcandalum ſuboriri. Nec recipiatur in Ordine noſtro Perſona aliqua illegitima, ſed nec aliquis famulus in domo aliqua ſub mercede conductus, nec in una Domo duo Fratres, vel duæ Sorores; & ſi recepti fuerint, talis receptio nullius firmitatis exiſtat: contrafacientes autem puniantur, ut in Rubrica de pœnis ſuſpenſionis. Cupientes etiam in Ordine noſtro Divinum Cultum non minui, ſed augeri, ſtatuimus, quod omnes Conventus ſecundi Ordinis, qui zelo Dei accenſi, Habitum & Regulam primi Ordinis aſſumere voluerint, de Domini Magiſtri licentia libere valeant. Si autem aliqui Conventus Habitum & non Regulam primi Ordinis maluerint aſſumere, poſſint & debeant in vita ſua in Habitu ſic aſſumpto permanere, ita tamen quod alios recipiendi niſi ad primi Ordinis profeſſionem nullam habeant facultatem. Si quis vero Frater ſecundi Ordinis ad arctiorem vitam voluerit ſe transferre, ne cogatur accipere litteras generales, nec ad alium Ordinem convolare, ad primum Ordinem recipi valeat & tranſire, Domini Magiſtri licentia petita prius, & obtenta.

De

De Professione. Cap. X.

PRofessionem facere qui voluerit, completo anno probationis in Capitulum vocatus, ibi coram omnibus de rebus suis, si quas habet, disponat. Deinde interrogetur a Præposito vel Prælato, si vita & Ordo ei placet, & si vult pro Dei amore renuntiare omnibus, & regulariter vivere, & fieri Frater. Et si dixerit: *Non possum portare jugum istud*, discedat: si vero dixerit: *Volo*, respondeat Conventus: *Deo gratias;* & ductus in Ecclesiam, benedicantur vestes.

BENEDICTIO CAPUCII.

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* Oratio. *Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam Clementiam tuam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres nostri ad pœnitentiæ & humilitatis indicium abrenuntiantibus Sæculo ferre sanxerunt, Tu ✠ benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, Te induere mereatur Salvatorem Mundi: Qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.* Post benedictionem vestimentorum, ante Missam faciat Professionem, facta prius donatione cum candela accensa in manu Præpositi vel Prælati: Et legat Professionem, si scit legere; sin autem, Magister suus legat pro eo, sic dicens: *Ego Frater N. promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam, secundum Regulam hujus Congregationis, coram Deo, & Sanctis ejus, quorum Reliquiæ hic habentur, in hoc loco qui vocatur N., constructo in honorem Beati N., in præsentia Fratris N. Præpositi* (vel Prælati), *cui & Successoribus ejus obedire promitto, & esse sub obedientia Domini Magistri Ordinis Humiliatorum.* Qua perlecta, ipse Novitius Crucem faciat in ea, & tunc se inclinans accedat, & super Altare eam ponat deosculans. Et Præpositus vel Prælatus stans in dextro cornu Altaris, tollat inde chartulam. Postea Novitius stans ante

Altare dicat ter : *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum , & vivam , & ne confundas me ab expectatione mea :* faciens veniam ante Altare quoties finierit ipsum Versum . Quem Versum omnis Congregatio tertio respondeat , adjungentes *Gloria Patri* &c., incipiente tamen ipso . Deinde humiliat se ante pedes Præpositi vel Prælati , postmodum Prioris , vel majoris Sacerdotis ac Fratris , percurrens Chorum , humiliando se ante pedes singulorum , accipiendo ab eis pacem : & iterum rediens ad medium Chori percurrat alium Chorum , sicut fecit primum ; & demum exiens retro Chorum , humiliet se ante Infirmos , si affuerint . Quo facto , revertatur ante Altare , prosternens se in terram , & dicant omnes : *Miserere mei Deus* &c. , & *Ecce quam bonum* &c. *Chirie eleison , Christe eleison , Chirie eleison . Pater noster* &c. Et Præpositus vel Sacerdos dicat : *Et ne nos* &c. ℣. *Salvum fac Servum tuum Domine .* ℟. *Deus meus sperantem in te .* ℣. *Convertere Domine , usquequo .* ℟. *Et deprecabilis esto super Servum tuum .* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto .* ℟. *Et de Sion tuere eum .* ℣. *Nihil proficiat Inimicus in eo .* ℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei .* ℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis .* ℟. *A facie Inimici , & persequentis .* ℣. *Domine exaudi orationem meam .* ℟. *Et clamor meus ad te veniat .* ℣. *Dominus vobiscum .* ℟. *Et cum spiritu tuo .* Oratio . *Intercedente pro nobis Beata & Gloriosa semper Virgine Maria , & Beato Petro Principe Apostolorum , qui habet potestatem in Cœlo & in terra ligandi atque solvendi , Ipse te ab omni malo absolvat . Amen . Bene ✠ dicat te Deus , & custodiat te , ac ostendat faciem suam tibi , & misereatur tui , convertat vultum suum in te , & det tibi pacem & sanitatem . Amen . Bene ✠ dicat te Deus Pater , qui in principio cuncta creavit . Amen . Bene ✠ dicat te Dei Filius , qui de Superna Sede pro nobis descendit . Amen . Bene ✠ dicat te Spiritus Sanctus , qui in specie columbæ super Jordanem requievit in Christo . Amen .* Tunc Novitius surgens exuatur habitu Novitiorum , dicendo : *Exuat te Deus veterem hominem cum actibus suis :* & induat eum Præpositus , vel Prælatus , dicendo : *Induat te Deus novum homi-*

hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis: & postea dicat: *Dominus vobiscum* &c. Oremus. *Respice, quæsumus Domine, propitius super hunc Famulum tuum, ut conversationis sanctæ propositum, quod Te inspirante suscepit, Te gubernante custodiat: per Dominum* &c. Et sic statuatur in Choro; & faciat Sacerdos, qui Missam canit, unam Collectam pro eo. De Professione autem cujuslibet fiat publicum Instrumentum. Facta quoque Professione, ab ipso die Professionis usque ad triennium, ad Præpositorum vel Prælatorum electiones, & ad aliquarum Personarum receptiones nullatenus admittatur. Obedientiam quoque manualem omnes tam Fratres, quam Sorores faciant Præposito suo in Domo sua noviter ordinato, dicendo: *Promitto obedientiam Deo & Vobis*, ponentes manus suas in Libro Regulæ aperto, quem ipse Præpositus tenere debeat.

De abdicatione proprietatis. Cap. XI.

QUia proprietatis vitium Religiosis mortem animarum inducit, eorum nulli quicquam habere liceat, quod a suis Præpositis concessum non fuerit, vel permissum, sicut in Regula nostra a Beato Benedicto monemur. Volentes igitur hujusmodi vitium de Ordine universo radicitus extirpare, statuimus quod Præpositi & Prælati quidquid habent in pecunia, & libris, seu rebus aliis quibuscumque, Generali Magistro, vel Visitatoribus ejus singulis annis fideliter debeant consignasse. Subditi vero idem facere debeant suis Præpositis & Prælatis. Idem etiam in Ministris & Sororibus Fratres non habentibus observetur. Quod si secus a quoquam factum fuerit ex contemptu, ipso proprio expolietur, & alia pœna plectatur, ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris.

De Confessione. Cap. XII.

COnfessiones in Canonicis Præpositis & Fratribus aliarum Canonicarum, nec non & in cæteris Domibus tam primi Ordinis, quam secundi, Visitatoribus earumdem interdicantur. Cui etiam Sororum Ordinis colloqutio interdicitur aut Confessio, vi Constitutionis hujus Confessiones cæterarum fœminarum sibi noverit interdictas. In singulis autem Domibus Ordinis in muris Ecclesiarum seu Oratoriorum fiant fenestræ ferreæ, perforatæ minutim, ubi audiantur Sororum Confessiones, & non alibi, nisi caussa infirmitatis: Et provideatur semper ut Sacerdos & Soror a pluribus videri possint. Fiant nihilominus fenestræ consimiles in muris Chori, ubi Confessiones audiri valeant sæcularium fœminarum (7). Quilibet nempe Præpositus & Prælatus Fratres suos sæpe admoneat, ut frequenter debeant confiteri; Et de hoc Præpositus & Prælatus inquisitionem facere teneatur. Nullus vero Sacerdos Ordinis Confessiones Fratrum vel Sororum audire, aut eos vel eas absolvere, sive etiam prædicare præsumat, nisi super his specialiter licentiatus fuerit per Dominum Magistrum, & Præpositum suum; sed nec audire Confessiones sæcularium Personarum, nisi Diœcesani vel Parochialis Sacerdotis accedente consensu. Si quis autem peccaverit, & confiteri voluerit Socio suo illud alias cognoscenti, Frater ejus Confessionem non recipiat, nisi sub tali conditione, ut quum opportunitas fuerit, ipsum possit in Capitulo proclamare.

De

(7) Ex hoc loco intelligimus, quanam ratione Humiliatorum Ecclesiæ constructæ ut plurimum essent. Odæum scilicet, quem vulgo *Chorum* dicimus, ita constitutum erat, ut inter illud & Ecclesiæ parietes vacuum spatium pateret; quod in Templis nonnullis adhuc videmus. Poterant itaque in odæo sedentes Humilliati confessiones Mulierum per fenestras in odæo ipso patentes audire.

De Communione. Cap. XIII.

COmmunicabunt autem Fratres & Sorores in Anno sexies: in Nativitate Domini, in Cœna Domini, in Pascha Resurrectionis Domini, in Pentecoste, in Assumptione Beatæ Mariæ, in Festo Omnium Sanctorum. Communicabunt autem cum timore Domini expleta Missa, prius facta Indulgentia quæ debet fieri a Sacerdote dicente Missam. Et post Communionem præbeatur omnibus cum calice vel scipho ad opus deputato vinum tantummodo non consecratum: Vinum enim consecratum nullus recipere debet propter effusionis periculum vitandum (8), nisi tantum quum Missam celebrant Sacerdotes. Altare vero sit extra Chorum, ubi Mulieres forenses sive Sæculares communicentur.

De Silentio. Cap. XIV.

SIlentium solicite locis & temporibus debitis observetur, sicut in Regula continetur. Fratres autem ubique extra Refectorium in Mensa silentium teneant, tam Præpositi quam alii, excepto uno qui major in Mensa fuerit inter eos, vel alio cui loqui commiserit. Nullus autem aliorum ibidem loquatur, nisi de necessariis Mensæ, & hoc breviter & submissa voce, nisi de licentia Episcoporum, vel aliorum quorumcumque Ordinum Magistrorum Generalium, vel Domini Magistri licentia. Si quis hoc fiegerit ex proposito, pœnæ subjaceat, ut in Rubrica de pœnis culpæ levioris.

(8) Jam a XIII. sæculo apud nonnullas Ecclesias frequentior mos invaluerat, teste D. Thoma III. Part. Quæst. LXXX. Art. XII. ut sub sola panis specie Eucharistiam sumerent; quod tota deinde in Ecclesia receptum. Videndi hac de re Theologi, qui Eucharistiæ sub unica specie sumptionem antiquissimis Ipsis Ecclesiæ temporibus usurpatam interdum approbatamque ostendunt.

De Jejunio. Cap. XV.

JEjunandum est, sicut in Regula continetur, similiter & secunda & quarta feria Rogationum, ac Vigiliis omnibus ab Ecclesia ordinatis. In omnibus etiam sextis Feriis erit jejunium intus & foris ab omnibus observandum. Contrafacientes puniantur ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris.

De Mensæ benedictione. Cap. XVI.

REfectionis hora præveniat Præpositus vel Prælatus pulsare signum Refectorii, si cibus paratus sit, alioquin non pulsetur, nec Fratres manus abluant, sed interim sedeant in silentio donec paratus sit. Ablutis vero manibus, & detersis, non intrent Refectorium, sed simul sedeant, donec signum pulsetur. Et tunc venientes per ordinem, ante sedes suas inclinent se versus principalem mensam. Similiter Præpositus inclinet se antequàm pulset campanam, quæ tandiu pulsetur ad utramque refectionem, ut totum *Miserere mei Deus* vel *De profundis*, dici possit. Et dum pulsatur signum, qui in loco suo est, non divertat, donec versus expleatur. Qua dimissa, dicat Cantor. *Benedicite ℣. Oculi omnium in Te sperant Domine*, & Chorus prosequatur sine replicatione in prandio, si bis comedunt: Cum vero jejunant, vel cœnant, dicant: *Edent pauperes & saturabuntur*, & dicto Versu, dicentes: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Santo*, incurventur Chorus contra Chorum, addentes *Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison*, & sub silentio, *Pater noster*. Et Sacerdos vel Hebdomadarius erectus & stans versa facie ad principalem Mensam, dicat: *Et ne nos*. Deinde in utraque Refectione dicatur. *Oremus. Benedic Domine hæc dona tua, quæ de tua largitate sumus sumpturi, per Christum Dominum Nostrum, Amen*, faciens unam Crucem, & sic compleat benedictionem. Qua completa, erigentes se Fratres, & dicto a Lectore: *Jube Domne benedicere*, tunc dicat Præpositus, vel Prior

ab-

absente Præposito in prima refectione, & quum jejunant: *Cœlestis Mensæ participes faciat Nos Rex Gloriæ;* quum vero cœnant, dicant: *Ad cœnam Vitæ æternæ perducat Nos Christus Rex Gloriæ.* Et tunc ingrediantur ad Mensas. Refectionarius, postquam ordinati fuerint, dum manent curvi, non pertranseat ante Fratres, vel retro; sed cum erecti fuerint, perficiat siquid defuerit. Si quis autem viderit aliquid alicui deesse, requirat a Servitore, vel Cellario, magis signo quam voce. Qui vero aliquid apponit, & cui apponitur, invicem sibi inclinent. Si quis sane de comedentibus vel Servitoribus offenderit aliquo modo, petat veniam ante majorem Mensam, & facto sonitu a Præposito vel Prælato, redeat ad locum suum. Cultellum vero nemo reponat, nec scyphum tergat, quosque Præpositus vel Prælatus uno ictu cum cultello percusserit super Mensam. Et quum secundo manu percusserit mensam, dicat Lector: *Tu autem Domine*: & responso a Conventu: *Deo gratias*, cooperiatur panis; & inclinato a Lectore capite, pulset Præpositus vel Prælatus uno ictu campanam, & tunc surgentes Fratres ordinentur ante Mensas. Campana dimissa, dicat Cantor, subsequente Choro: *Confiteantur Tibi:* in prandio, quum bis comedunt; quum vero jejunant, & in Cœna, Versum: *Memoriam fecit.* In prandio siquidem, & quum jejunant, *Agimus Tibi gratias Omnipotens Deus, de universis beneficiis tuis, qui vivis & regnas Deus:* In Cœnis: *Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit & regnat Deus;* Et finiente Hebdomadario Orationem, inclinent versus principalem Mensam. Et incipiente Cantore *Miserere mei Deus*, alta voce vel mediocriter exeant cantantes alternatim, euntes ad Ecclesiam bini & bini, junioribus præcedentibus: & Præpositus eos solus sequatur, & si alius Præpositus affuerit, simul ibunt. Et finito *Miserere mei Deus;* & *Gloria Patri*, dicat: *Kirie eleison, Christe eleison, Kirie eleison;* & prosternant se Fratres super formas (si vero Festum fuerit, inclinent usque ad genua) dicendo: *Pater noster:*

Quo

Quo finito, erigat se Sacerdos dicens. ℣. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera nos a malo:* ℣. *Dispersit, dedit Pauperibus*. ℟. *Justitia ejus manet in Sæculum Sæculi*. ℣. *Benedicamus Domino*. ℟. *Semper laus*. ℣. *In Domino laudabitur*. ℟. *Audiant Mansueti*. ℣. *Magnificate Dominum*. ℟. *Et exaltemus*. ℣. *Sit nomen Domini benedictum*. ℟. *Ex hoc nunc*. *Oremus*. *Retribuere dignare Domine Deus omnibus nobis bona facientibus propter Nomen tuum Sanctum Vitam æternam*. ℟. *Amen*. ℣. *Benedicamus Domino*. ℟. *Deo gratias*. Tunc Præpositus, vel Prælatus, vel Prior dicat: *Fidelium Animæ per Dei Misericordiam requiescant in pace:* Et semper dicatur a Majoribus in fine omnium Horarum. Finitis autem gratiis & laudibus, surgentes inclinent se, & recedant de Ecclesia cum reverentia.

De Cibo & Potu. Cap. XVII.

Cibus & Potus, ac Refectorium sit idem omnibus. Præposito tamen, vel vicem ejus gerenti extra Refectorium cum Hospitibus comedere, & in Refectorio Fratribus in pitantiis providere licebit, cum discretione tamen & modestia, ne infirmis Fratribus scandalum generetur. In Refectorio, quum reficiunt, liceat cuilibet de pitantiis sibi datis porrigere ad dexteram & sinistram. Ovis vero, & caseo, & sagimine uti possumus a Festo Sanctæ Crucis, usque ad Festum Sancti Martini, & a Nativitate Domini ad Quinquagesimam, exceptis jejuniis solemnibus, & sextis Feriis, in quibus nunquam liceat caseum & ova comedere, nisi Infirmis, & nisi illa die Nativitas Domini evenerit: sed neque Feria secunda & quarta Rogationum. Carnes vero in Domibus, vel Grantiis, vel Molendinis nostris, alicui laboratori, vel Hospiti nullatenus præbeantur, nisi commorantibus ad feudum, tantum in Festis principalibus, & Carnis privio, & caussa infirmitatis vel debilitatis, secundum quod Præposito videbitur expedire; Sed nec Fratribus in Grantiis, Molendinis, aut in itinere, nisi ex licentia Præpositi, quum sic graviter infirmantur, quod

ad

ad Domum deduci non possunt salubriter, nec venire: Contrafacientes puniantur, ut in Rubrica De pœnis culpæ gravis. Sed neque in Capitulo Generali carnes comedantur a quoquam, etiamsi ibi cœpit infirmari. Vinum quoque nullo modo bibant Fratres in Civitate vel Burgis, aut locis propriis extra Domum propriam, nisi in Domibus Ecclesiasticarum Personarum, & tertii Ordinis. Ad bibendum autem nemo Refectorium solus ingrediatur. Nullus etiam & nulla sine licentia intret coquinam. Tempore siquidem Jejunii post primum signum Completorii semper pulsetur Campana Refectorii; & qui voluerint bibere, intrent Refectorium, inde non egressuri, donec ab eo qui tenet Conventum, dictum fuerit: *Sit Nomen Domini benedictum*, & responsum a Conventu: *Ex hoc nunc & usque in sæculum*. Qui autem tunc non venerit, si fuerit in Domo, illo sero non bibat absque Præpositi licentia. Fratres vero secundi Ordinis faciant Carnisprivium, sicut primus Ordo.

De Minutione & Rasura. Cap. XVIII.

MInutio fiat quater in Anno, quando Præposito vel Prælato videbitur convenire, & non plus, nisi de licentia Præpositi vel Prælati. Lotio vero capitis & Rasura fiant de quindena in quindenam per totum annum (9).



(9) V. quæ in hanc rem adnotavimus Vol. II. pag. 109.

SECUNDA DISTINCTIO.

De Capitulo quotidiano. Cap. I.

CApitulum quotidianum fiat post Matutinum, si fieri potest, aut post Primam, ut in Ordinario continetur. In quo nemo, nisi alium clamando (1), vel de Ordine interrogando, aut jussus a Præposito respondendo, loqui præsumat, præter Præpositum, & alios Seniores, quibus loqui duxerit concedendum. Sed nec ex quo Fratres Capitulum ingressi fuerint, inde eant, nisi de licentia, & pro inevitabili necessitate. Clamationes a Fratribus & Sororibus fieri admonemus, non ex sola suspicione, sed tantum de eo quod viderint, vel audierint a Delinquentibus. Sed nec proclametur quis una die a pluribus quam a tribus. Quoties in Capitulo pronuntiatur Nativitas Domini, prosternant se Fratres, & semper in Festis Beati Benedicti Regula inchoetur. Completo vero Capitulo, dicat tenens Capitulum: *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*; & respondeat Conventus vertendo se ad Orientem; *Qui fecit Cœlum & Terram*; & sic cum silentio omnes exeant. Si quis vero de Fratribus, vel ipse Præpositus aliquid de temporalibus dicere voluerit, omnes vel pars (ad arbitrium tenentis Capitulum) remaneat; & de his quæ fieri oportet, tractent, tamen cum brevitate.

De Capitulo Generali. Cap. II.

CApitulum Generale Dominica secunda post Pascha inchoetur. Ad locum ubi fuerit celebrandum, conveniant omnes Præpositi Sabbato præcedenti ad prandium; & inde nullus egrediatur sine Domini Magistri licentia, vel illius qui ad hoc fuerit spe-

(1) *Clamare* idem erat apud veteres Monachos, ac aliquem alicujus culpæ reum accusare. V. Cangium ad hanc vocem.

ſpecialiter conſtitutus; & iſti abſque Sociis vocem habeant. In eodem die & hora conveniant omnes Prælati de ſingulis Civitatibus infraſcriptis, electi a Convocatoribus Prælatorum Civitatum ac Diæceſum earumdem; videlicet de Cumis tres, de Pergamo tres, de Brixia quatuor, de Cremona quatuor, de Parma unus, de Rhegio unus, de Mutina unus, de Mantua duo, de Marchia quatuor, de Alexandria, Terdona, & Caſali tres, de Novaria duo, de Mediolano vigintiquinque, ſcilicet de Civitate novem, de Seprio ſex, de Marteſana novem, de Crema unus; & Viſitatores ſecundi Ordinis Civitatis & Comitatus Mediolani. Prædictis itaque omnibus in Capitulo congregatis, Dominus Magiſter incipiat Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quem omnes ibidem præſentes proſequantur, euntes in Chorum, cantando uſque in finem. Quo finito, incipiat Dominus Magiſter Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus &c.* & dicatur tota. ℣. *Deus miſereatur*, & repetatur Antiphona. *Kirie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kirie eleiſon*, *Pater noſter. Et ne nos: Salvos fac Servos tuos: Mitte nobis Auxilium de Sancto: Eſto nobis Domine turris fortitudinis: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur; Domine exaudi orationem meam; Dominus vobiſcum;* Oratio. *Deus qui corda Fidelium:* item alia Oratio: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut omnis noſtra loquutio & oratio, & cuncta noſtra operatio a Te ſemper incipiat, & per Te cœpta finiatur. Per Dominum &c.* Deinde duo Præpoſiti, & duo Prælati per Magiſtrum Ordinis, Præpoſitum de Rondenario, & Prælatum de Brayda communiter eligantur: per quorum electionem de diſcretioribus, & magis idoneis ſex Præpoſiti, & ſex Prælati Definitores totius Capituli Generalis eligantur. Medietas autem tam Definitorum, quam Definitores eligentium erit de Civitate & Diœceſi Mediolani, & alia medietas de reliquo erit Ordine. Ab eligentibus quoque Definitores duo Præpoſiti, quorum neuter ſit de Civitate vel Diœceſi Mediolani, eligantur; qui cum Præpoſitis ſex prædictis

dictis erunt in Capitulo primi Ordinis Definitores. Prædicti igitur Definitores omnia cum Magistro definient & tractabunt, ita quod duarum partium illorum sententia semper obtineat firmitatem. Nullus in eodem Capitulo petat aliquid vel proponat, nisi prius Magistro & Definitoribus præsentaverit in scriptis quod proponendum duxerit vel petendum. Nec recipiatur aliqua petitio, nisi per Præpositum vel Prælatum porrecta fuerit, & nisi in ea scriptum fuerit nomen Porrectoris; sed nec illius qui ad Capitulum venerit, & venire non debuit. Ad Capitulum enim venire non debent nisi qui ad hoc electi fuerint, & vocem habituri sint in eodem, & Socii Præpositorum. Nam si alius venerit, in ipso Capitulo pœnam sustineat, ut in Rubrica de pœnis inferius adnotata; & peracta pœnitentia, continuo de Domo, in qua celebratur Capitulum, expellatur. Poterit autem Præpositus petitionem Fratris de Domo alia sibi transmissi Capitulo intimare. Præfati autem Definitores habebunt plenariam potestatem super excessu Magistri Ordinis corrigendo, vel de eo penitus amovendo. Ipsorum vero penitus Sententia tam in his quam in aliis inviolabiliter observetur, ita quod nemini ab illorum Sententia liceat appellare, & si appellatum fuerit, frivola & nulla ejus appellatio habeatur. Definitores igitur prædicti excessum Magistri Ordinis seorsum corrigant & emendent. Præpositi vero, qui caussa infirmitatis ad Capitulum Generale non venerint, non mittant aliquem Fratrem loco sui, sed per suas litteras (deferendas per aliquem ex Præpositis & Prælatis, qui Capitulo debent interesse) caussam commorationis eorum, & si qua Domino Magistro & Definitoribus petere voluerint, & suæ Domus conditiones intimare, Capitulo valeant nuntiare. Quod si quis alia quacumque occasione non venerit, in sequenti Capitulo veniam petat, nec sine animadversione transeat in eodem. In quo Capitulo de Salute Animarum, & observatione Sanctæ Regulæ & Ordinis tractent: Siquid fuerit emendandum, vel corrigendum, ordinent;

Bo-

Bonum pacis & charitatis inter se reforment. Si quis vero Præpositus minus in Regula studiosus, vel Sæcularibus rebus nimis intentus, aut in aliquibus repertus fuerit vitiosus, ibi charitative clametur, & proclamatus veniam petat, pœnitentiam sibi injunctam adimpleat. Hanc autem proclamationem nonnisi Præpositi faciant. Sed si forte aliqua controversia inter quoslibet Præpositos emerserit, & de aliquo illorum tam gravis culpa prolata fuerit, ut suspensionem vel depositionem mereatur, quidquid inde a Capitulo definitum fuerit, sine retractatione aliqua observetur. Si vero diversitate sententiarum in discordiam venerit, illud irrefragabiliter teneatur, quod Dominus Magister, & ii qui sanioris consilii apparuerint, & magis idonei, judicabunt, hoc observato, ut nemo eorum, ad quos specialiter caussa respexerit, definitioni debeat interesse.

De Visitatione. Cap. III.

Visitationis beneficium, in omnibus & singulis Domibus Ordinis Dominus Magister per seipsum, aut per Personas idoneas electas in Capitulo generali (& nullus alius) ad minus semel in anno impendere teneatur; & si amplius eas visitaverit, visitati hujusmodi inde magis gaudeant. Visitatores autem tales esse convenit, ut non credant omni spiritui; tamen quæ nescierint, diligenter inquirant, cognita rationabiliter corrigant zelo Ordinis, & paternæ charitatis affectu. Prohibeant autem ne incipiant retractare, quæ noverint digne correcta, nec sibi suggerant non reperta, nec vanis suspicionibus animos Patrum vel Fratrum suorum turbent. Quod si quis fecerit, digne ipsum increpent, & castigent. Prohibeant etiam, ne ea quæ emendanda cognoverint, quasi ad majus scandalum Visitatoribus reserventur. Adhibeant quoque in facienda Visitatione diligentiam maximam & cautelam; & fideliter ac prudenter intendant ad conservationem pacis, & corrigendos excessus, & quantum poterunt, salva Ordinis disciplina.

plina. Subditorum animos ad ampliorem reverentiam Præpositi proprii, & gratiam intimæ in Christo dilectionis inducant. Nullum autem sæcularem in testem recipiant contra aliquam Personam nostri Ordinis in criminali caussa: Sed nec ad dictum unius testis crimen aliquod in Capitulo publicent contra Fratrem vel Sororem illud crimen ipsis Visitatoribus denegantem. Quod si contra hanc formam Visitatores egerint, per Dominum Magistrum, prout meruerint, puniantur. Visitandi vero Visitatoribus obedientes devoti existant, & quantum poterunt, ad emendationem Domus suæ intendant, tanquam rationem Domino reddituri. Igitur in adventu Visitatorum Præpositus studiose Fratres admoneat, roget & præcipiat, ut fideliter & fiducialiter, publice & privatim, prout melius faciendum intellexerint, suggerant & proponant quæ noverint corrigenda. Caveat autem ne ullatenus hoc impediat faciendum, vel quum factum fuerit ægre ferat. Caveat nihilominus ne in præsentia Visitatorum, vel post recessum eorum cuicquam aliquam vindictam inferat, aut improperet, seu indignetur. Quin immo si minus caute minusque discrete fuerit quis loquutus, benigna facilitate ad consilium Visitatorum indulgeat. Quod si hanc formam non servaverint Visitandi, coram Deo se graviter culpabiles noverint, & Domini Magistri seu Capituli Generalis animadversione plectendos. Visitatores autem quoties accedunt ad Domum aliquam Visitationis caussa, hoc Capitulum de Visitatione a principio usque ad hunc locum, in pleno illius Domus Capitulo, tam ex parte Fratrum, quam ex parte Sororum legere teneantur. Contrafacientes puniantur, ut in Rubrica de pœnis culpæ gravis. Sane inquisitione facta de statu Domus, si eam intellexerint immoderatis esse debitis obligatam, poterunt inducere Fratres ad vendendum mobilia, & etiam immobilia de consensu Domini Magistri, donec debita tolerabiliter minuantur. Poterunt quoque Fratres, qui in Domo propria non habuerint necessaria, mittere ad alias Domos, quæ inopia simili non la-

bo-

borent. Quod si in Domo propria retinere voluerint, sic sua sint paupertate contenti, ut pro sumptu suo mutuo nihil accipiant, & inde debitum crescat. Provideant autem Visitatores, ut in charta suis sigillis pendentibus sigillata diligenter conscribant, quæ statuerint emendanda, & eam Cantori vel Sacristæ committant, in sequenti Visitatione legendam in Capitulo illius Domus. Unus siquidem Visitator, sine consensu ad minus unius Sociorum, nil relaxet de his quæ communiter statuerunt. Et quolibet anno deferant in scriptis ad Capitulum Generale conditionem Domorum quas visitaverint, & summam debitorum. Visitatores vero secundi anni diligenter inquirant vestigia priorum Visitatorum, & ea referant Capitulo Generali. Licebit autem cuilibet Præposito vel Prælato, uno secum Sacerdotum vel Fratrum assumpto, semel in anno facta Fratrum & Sororum suæ Domus seorsum inquirere, & corrigere ac emendare quicquid correctione & emendatione invenerit indigere.

De Fœminis vitandis. Cap. IV.

FOEmina nulla intret Domum vel Chorum, sed nec Domos Molendinorum aliquo modo. Nullus sane Frater cum Muliere loqui audeat, nisi ab aliis, vel ab aliquo videatur. A Sororibus autem sic omnes caveant, ut nullus aliquo tempore sine licentia Præpositi vel ejus Vicarii, ipsarum Claustrum ingrediatur, vel ubi sentit aliquam, appropinquet, ut cum ea voce vel signo loquatur, seu loqui possit, apud eam fraudulenter & moretur. Sed neque Præpositus unquam alicui Sorori concedat loqui alicui Personæ soli, nec ipse Præpositus aliquando solus cum sola in occulto loquatur, nisi forte uterque videri possit. Quum ergo loquuntur Sorores cum Personis aliis, sit una juxta aliam; & cum aliqua illarum loquitur, non privatim dicat, sed palam & aperte, itaut a Socia sine fraude audiri & intelligi possit. In nullo autem tempore ante Primam, aut post Completorium, Præpositus vel Prælatus, vel alius quicumque intret Claustrum Sororum, nisi justa

& pro-

& probabili necessitate. Constituatur siquidem Loquutorium in Claustro Sororum cujuslibet Domus, ita clausum ex parte Sororum, ut existentes in ipso videre non valeant Sorores ambulantes, vel laborantes in Claustro, vel e converso; & in muro ipsius Loquutorii fenestra ferrea sic condensa ponatur, ut nulla Mulier possit inde manum mittere ullo modo. In Domo vero Sororum Fratres non habentium fiant fenestræ ferreæ, non ligneæ, ita quod inter unum ferrum & aliud non sit distantia ultra quatuor digitos in aliqua parte; ad quam fenestram Homines de licentia Præpositi vel Prælati, cum Fratre ad hoc deputato existentes de versus partem Fratrum, similiter & mulieres loqui possint Sororibus existentibus in Loquutorio a parte sua. Nulla quoque Soror portam ipsarum Sororum egrediatur, sed sub Clausura maneant perpetua, juxta Constitutionem Domini Papæ, nec aliqui Fratres Domos ipsarum aliqua de caussa ingrediantur, nisi per Dominum Magistrum, vel ejus Vicarios, ad hoc ordinati seu licentiati fuerint. Claudantur autem tam portæ & ostia, quam fenestræ, quæ sunt inter Fratres & Sorores, cum clavibus & serraturis omni nocte, ex parte Fratrum, & ex parte Sororum. Sorores quoque Fratres non habentes non exeant Domum, & ii ad quos earum cura pertinet, sic eis in omnibus necessariis provideant, ut causam non habeant contrarium faciendi. Contrafacientes puniantur, ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris.

De Scandalo vitando. Cap. V.

SCandalum vitare cupientes, appellationem in Ordine nostro fieri, sub interminatione Anathematis districtius prohibemus; cum non venerimus contendere, sed potius delicta corrigere. Qui autem hoc attentare præsumpserit, tanquam inobediens judicetur, & nihilominus procedatur in correctionem ejusdem secundum Regulam & Ordinis Instituta. In virtute quoque Spiritus Sancti & obedientiæ præcipimus firmiter observari, ut ne quis causam depositi-

depofitionis Magiftri, vel ejus exceffum vel correctionem, vel fecretum Capituli, vel diffenfionem Definitorum vel Fratrum, unde Ordo turbari poffit vel infamari, audeat fcienter Extraneis publicare: fed neque extra Ordinem in præjudicium vel infamiam alicujus Perfonæ Ordinis noftri, confilium perquirere fuper aliquo cafu, abfque Domini Magiftri licentia, vel ejus Vicariorum. Si quis autem ex deliberatione fecerit contra, tanquam Excommunicatus & Schifmaticus, & Deftructor noftri Ordinis habeatur, & donec fatisfecerit, a communione omnium fit penitus alienus, & puniatur ut in Rubrica de pœnis culpæ graviffimæ.

De Litibus & Cauffis. Cap. VI.

Lites & cauffas & controverfias, quas inter fe Fratres primi & fecundi Ordinis & tertii habuerint per Dominum Magiftrum aut ejus Vicarios, aut per idoneas Perfonas a Partibus electas, vel per Capitulum Generale, ftatuimus ac præcipimus finaliter terminari, decernentes omnes, qui de cætero extra Ordinem appellaverint, vi Conftitutionis hujus eo ipfo omni Dignitate & honore fore privatos, & ulterius non poffint ad Præpofituram vel Prælaturam, vel ad quodcumque aliud Officium aliquatenus in pofterum eligi vel affumi. Ad omnem quoque litigii materiam removendam, præfenti Statuto diftrictius inhibemus, ne aliquis in Domo aliqua vifitationem vel correctionem habere debere contendat, nec ad hoc fe aliquatenus intromittat, nifi fecundum quod injunctum fuerit a Domino Magiftro, vel a Capitulo Generali, & præcipue Præpofiti Domorum Sancti Joannis de Alexandria & Sancti Chriftophori de Vercellis, vel quivis alii qui aliquas Domos confueverunt tanquam filias vifitare, eas deinceps non præfumant de ipfarum vifitatione, correctione, & Præpofitorum ipfarum approbatione contendere vel fe intromittere quoquo modo, ficut in Privilegio Domini Papæ Benedicti fuper hoc conceffo Generali Magiftro Ordinis continetur. Contrarium vero

facientes, vel qui ad agendum eis præstaverint auxilium, consilium, vel favorem, eo ipso ex tunc Excommunicationis sententiam se noverint incurrisse; & si Præpositi vel Prælati fuerint, a suæ se noverint Præpositurae vel Prælaturæ dignitate privatos, nec deinceps eligi valeant, nec etiam postulari.

De levi culpa, & ejus pœna. Cap. VII.

VOlumus & ordinamus, inter culpas leves, infrascriptas, & similes reputari. Primo levis culpa est, si quis mox ut signum factum fuerit, relictis omnibus cum matura festinatione differat se parare, ut ad Ecclesiam ordinate & composite, quando debuerit, veniat; si quis ad Gloriam primi Psalmi non fuerit; si quis in Choro male legendo, vel cantando offendens, non statim coram omnibus se humiliaverit; si quis Divino non intentus Officio magis oculis & motu irreligioso vanitatem mentis ostenderit; si quis in Ecclesia vel Dormitorio vel Cella aliquid inquietudinis fecerit; si quis lectionem statuto tempore non præviderit; si quis aliud cantare vel legere præsumpserit, quam quod communis probat sensus vel usus. Item levis culpa est, si quis in prædicatione vadens otiosa loquutus fuerit vel egerit; si quis dissolute ridens cachinnis vel ludis dictis vel factis alios ad ridendum concitaverit; si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo ad vanitates frequenter direxerit, si quis ad Lectiones & Responsoria dormierit, si quis temporibus statutis cum aliis Lectionem auditurus non fuerit, si libros interdictos quis legerit, si quis silentium in Regula constitutum incaute fregerit, vel etiam silentium in Mensa extra Refectorium ordinatum tenere neglexerit; qui cultellos cum veretis argenteis (2), & alia notabilia detulerit. Item levis culpa est, si quis

(2) *Vereta* diminutivum a *vera*, quæ vox Insubrica est, ac laminam argenteam, seu alterius metalli indicat, qua ligneus cultri capulus in extrema utrinque parte interdum ornatur.

ſi quis Eccleſiæ, vel Altaris ornamenta negligenter tractaverit, ſi indumenta vel alia Fratri data vel conceſſa ſine ipſius licentia alius pro ſe acceperit, ſi quis aliquod utenſilium fregerit vel perdiderit, ſi quis cibi vel potus aliquid effuderit, ſi quis liber, in quo legendum eſt, cujuſquam negligentia defuerit; ſi quis dixerit aliquid, unde offendantur Fratres, vel egerit; ſi quis cibum aut potum abſque benedictione ſumpſerit; ſi quis in Conventu hora qua debet venire diſtulerit; ſi quis ad Capitulum vel Collationem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit; ſi quis clamatus fuerit, & eodem die quaſi vindicando alium clamare præſumpſerit; ſi quis ad Miſſam ſine ſubtelaribus vel botis (3) miniſtraverit; ſi quis portaverit clamidem cum pellibus vel planelas præterquam in nocte; qui cum aliis raſus non fuerit, niſi ex licentia remanſerit. Item levis culpa eſt, ſi quis cum juramento (ut in loquendo fieri ſolet) aliquid negaverit vel affirmaverit, ſi quis turpem ſermonem vel vaniloquium dixerit, vel quod gravius eſt in uſu habuerit, ſi quis eorum, qui Officiis deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit, ut ſunt Priores in Conventu cuſtodiendo, Magiſtri in docendo, Studentes in ſtudendo, Scriptores in ſcribendo, Cantores in Officiis ſuis, Procuratores in procurandis exterioribus, Infirmorum Cuſtos in Infirmis cuſtodiendis & procurandis, & mortuis neceſſaria miniſtrando, & cæteri in Officiis ſuis, ut injunctum eſt eis. Clamatis & veniam petentibus de ſupradictis detur pœnitentia, ſecundum quod Prælato videbitur expedire.

(1) *Subtelares* & *botæ* caligarum genera ſunt. *Subtelares* commemoravimus etiam Vol. I. pag. 61.

De gravi culpa, & ejus pœna. Cap. VIII.

INter culpas graves infrascriptæ & similes reputentur, & qui deliquerint in ipsis, pœnis subjaceant infrascriptis. Subditus qui alicui Personæ sæculari mutuaverit, seu manu levaverit ultra solidos viginti tertiolorum, sine sui Præpositi vel Prælati licentia. Qui vadunt cum asino vel jumento per terram ad deferendum bladum ad Molendinum, vel pannos ad folatoria, vel aliud hujusmodi opus exercuerit, quod decentiæ Ordinis deroget vel honori, vel Prælatis qui ad hujusmodi officia exercenda transmittunt: Et qui sine Socio Fratre ad Grantias seu Molendina permanserit. Et qui Mulieres intra Domum Molendinorum vel Grantiarum intrare permiserit. Præpositi vel Prælati qui ante Festum proximum Omnium Sanctorum Constitutiones scriptas & correctas habere neglexerint, & eas quolibet anno in Capitulo vel Refectorio bis legi non fecerint; aut qui in Curtem Fratrum Mulierem aliquam sine licentia Domini Magistri vel Præpositi laborare permiserit: Qui pro ædificiis aut emptionibus faciendis ultra libras decem tertiolorum absque Domini Magistri licentia aut Vicariorum vel Visitatorum fuerit mutuatus: Qui Visitationes sibi impositas ante Generale Capitulum non compleverit: Et qui secreta, quæ de aliis noverit, in eorum scandalum revelaverit: Quicumque pannos garzatos postquam resolati fuerint (4) deferre præsumpserit: Qui litteras Domino Magistro vel Visitatori, seu cuilibet alii contra Præpositum suum miserit. Qui ad Dominum Magistrum accesserit sine licentia & litteris sui Præpositi; Frater & Soror qui sibi munera invicem dederint, miserint, vel acceperint: Qui famæ alterius detra-

(4) Pannus *garzatus* idem est ac carminatus. *Garzator* enim pro *Carminator* occurrit apud Cangium ad hanc vocem. *Resolare* vero ex *folatorio* ducitur, (utraque hæc vox apud Cangium desideratur), quod, ut diximus Vol. I. pag. 164. Molendinum ad pannos desolandos significat.

detraxerit, aut de excessu jam emendato aliquem exprobraverit; Et qui Apostatam ad comedendum vel bibendum, vel aliqua alia occasione intra Domum suam receperit; Qui cum Muliere loquutus fuerit ita, ut ab alio videri non possit; Qui loquutus fuerit Sorori alicui sine licentia sui Præpositi vel Prælati, vel ejus Vicarii: Quicumque Præpositus vel Prælatus, vel quivis alius ante Primam, vel post Completorium Claustrum Sororum intraverit, nisi justa & probabili causa. Quicumque Domus Sororum Fratres non habentium ingressi fuerint sine licentia Domini Magistri vel Vicariorum ejus; Qui non licentiati prædicare vel audire Confessiones præsumpserint; Quicumque Præpositus vel Prælatus Subditos suos de Civitate ad Civitatem sine litteris testimonialibus miserint, vel accedere permiserint: Quicumque sigillaverit vacuum pergamenum, vel litteras quas non legerit; Qui ad Capitulum Generale accesserit, & non debet interesse; Si quis inhoneste in audientia Sæcularium cum aliquo contenderit, aut Frater cum Fratre, in Domo, vel extra Domum lites inhonestas habuerit; Si quis jejunia ab Ecclesia instituta fregerit sine causa & licentia; Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit; Si quis silentium non tenere, in consuetudinem duxerit; Si quis culpam suam vel alterius defenderit; Si quis clamans in clamatione sua jurgium fecerit; Si quis ad Curiam alicujus Legati accesserit absque licentia alicujus Vicariorum; Si quis in illum, a quo clamatus est, vel in quemlibet alium maledica verba & inordinata & irreligiosa malitiose invenisse deprehensus fuerit: Si quis absque licentia, vel gravi infirmitate, in itinere, vel alibi, carnes comederit; Si quis postquam missus est ad aliam Domum, sine licentia reverti voluerit, vel ultra terminum moram fecerit, vel qui pro victu & vestitu, vel qualibet alia re murmuraverit; Si qui Visitatores in principio Visitationum suarum, quando visitant, non legerint Capitulum de Visitatione, In Capitulo visitandæ Domus. Pro hujusmodi culpis, & similibus, veniam petentibus, & non cla-

clamatis, si Præpositi vel Prælati fuerint, ad Domini Magistri vel Visitatorum arbitrium puniantur; si vero Subditi, duæ correctiones in Capitulo dentur, duo dies in pane & aqua, & duobus diebus observent silentium: Clamatis vero una correctio, una dies in pane & aqua, & una dies silentii adjungatur. Præter hoc Antiphona, Psalmus & veniæ, secundum quod discretioni Rectoris visum fuerit, adjungantur.

De graviori culpa, & ejus pœna. Cap. IX.

INter culpas graviores infrascriptæ, & similes reputentur; & pro ipsis qui deliquerint, pœnis subjaceant infrascriptis. Qui libellum infamiæ scripserit, & in medium projecerit, seu alios graviter infamaverit, aut in electione Simoniam commiserit, aut Clericatum vel Ordines vel Prælationes, aut Curam alicujus Ecclesiæ extra Ordinem sine Magistri licentia receperit, aut pro Præpositi creatione, seu aliqua Domus ordinatione, Potentum auxilia imploraverit, aut qui quod propinqui & affines, seu aliqui alii suis Correctoribus, vel sibi imperantibus aliquam molestiam inferant, consenserint: Qui etiam Uniones per Dominum Magistrum jam factas, & in posterum faciendas, postquam factæ fuerint, vel per se, vel per alium, seu alios, ut dissolvantur, procuraverit: Quicumque etiam Præpositi, vel Prælati, Canevarii, Mercatores (5), & alias ipsis Conventibus præsidentes, alicui Communitati, Principi, Rectori vel alteri Sæculari Personæ, quocumque nomine censeatur, dederint, mutuaverint, seu manulevaverint aliquam pecuniæ quantitatem, & qui consensum præstiterint in prædictis; Qui levi percussione alium percusserit: Qui malitiose occultasse ultra libras viginti tertiolorum repertus fuerit: Si quis suæ Præposituræ resignaverit; Qui electioni

(5) Mercatoris munus apud Humiliatos fuisse ostendimus Vol. I. pag. 159., cujus scilicet erat lanæ ceterarumque mertium curam gerere.

ctioni de se factæ consentire sine licentia Generalis Magistri præsumpserit, aut requisitus a Magistro, ut resignet ipsi electioni, resignare renuerit, vel distulerit; Quicumque eis auxilium consilium vel favorem præstiterit in prædictis, & quolibet prædictorum; Qui secreta Ordinis revelaverit. Caveat autem quilibet Frater, ne proclamet aliquem in Capitulo vel Visitatione, de crimine, etiam de auditu, nisi possit ipsum crimen probare. Quod si accusatus negaverit, & accusans, in probatione defecerit, accusans pœna accusato debita puniatur. Qui procuraverit, vel consenserit quarumlibet Personarum Sæcularium auxilium implorari, ut creetur in Præpositum vel Prælatum, nullatenus promoveatur. Qui violenter ad Domum propriam, contra voluntatem Domini Magistri, vel Vicariorum aut Visitatorum redierit; quique ei auxilium consilium vel favorem præstiterit redeundi: Quæcumque Soror extra portam egressa fuerit, sine licentia Domini Magistri, aut Visitatorum; qui habitum sui Ordinis temere deposuerit vel mutaverit, vel allum superposuerit, aut qui ipsum habitum alicui Religioso vel Sæculari concesserit ad ferendum: Qui pannos, vel alias res extra Civitatem suam, Burgum, vel loca portaverit, vel portari fecerit ad vendendum: Qui ad Curiam Domini Papæ accesserit sine licentia Domini Magistri, vel Vicariorum Generalium: Qui cum gladiis ad rumores exierit, aut in Domo defensionem fecerit, & inde correctus eadem denuo attentare præsumpserit; Qui alium Clericum sibi transmissum sine licentia Præpositi sui proprii fecerit ordinari. Pro hujusmodi culpis & his similibus, si Præpositi vel Prælati fuerint, ad Domini Magistri arbitrium puniantur; si vero Subditi, pœnæ gravioris culpæ subjaceant, ita ut plene satisfaciant, sicut in Regula continetur; aut eliminentur de Domo, pensatis qualitate reatus & circumstantiis Personarum. Emitti autem de Domo non debet, cujus culpa sine gravi scandalo poterit emendari. Forma autem satisfactionis pro graviori culpa talis est. Sane Frater qui pro graviori culpa

debet

debet satisfacere, hora qua Fratres pro suis culpis & excessibus proclamantur in Capitulo, sponte surgat, & prostratus veniam petat, scelerisque sui acerbitatem proferat cum gemitu atque luctu; & denudatus primo vapulet quantum Præposito vel Prælato placuerit, non solum a Præposito & Prælato, sed etiam, si visum fuerit, a Fratribus universis, & sit omnium novissimus in Conventu; & ad tempus, ut efficacius resipiscat, a Fratrum consortio separetur, solus persistens ad opus sibi injunctum in pœnitentia & luctu. In Refectorio quoque communis mensæ participatione privetur, & in medio Refectorii in terra comedat, vescens aquæ potu, & panem comedat grossiorem. Poterit tamen ei aliquid per misericordiam impendere Præpositus vel Prælatus: nec illud quod comedit benedicatur ab aliquo transeunte, sed nec cibi sui reliquiæ admisceantur reliquiis aliorum. Ad Horas Canonicas ante ostium Ecclesiæ prostratus jaceat transeuntium ante pedes. Et si Sacerdos, aut in Sacris Ordinibus constitutus, vel etiam Prædicator extiterit, Prædicationis Officio, & suis Ordinibus non fungatur; sed nec, si Laicus, aliquod honoris Officium valeat exercere, donec postquam religiose fuerit conversatus, per Dominum Magistrum, vel per Generale Capitulum fiat dispensatio cum eodem. Præfatam autem disciplinam tandiu satisfaciens patiatur, donec per Dominum Magistrum, aut per Definitores Generalis Capituli competenter secundum exigentiam culpæ fore censebitur satisfactum. Præpositus autem vel Prælatus suus, ne majori absorbeatur tristitia (sicut docet Beatus Benedictus in Regula nostra) ad ipsum Sapientes dirigat seniores, qui eidem tribuant exhortationum unguenta, Divinarum medicamenta Scripturarum, provocent eum ad humilem satisfactionem, commoventes eum ad pœnitentiam, foveant eum per compassionem, inducant ad pœnitentiam. Et demum in toto Conventu fiat oratio pro eodem, ut Deus, qui omnia potest, circa infirmum Fratrem Salutem Animæ operetur.

De

De graviſſima culpa & ejus pœna. Cap. X.

INter culpas graviſſimas infraſcriptæ, & ſimiles reputentur, & pœna ſit quæ inferius imponitur eorumdem. Qui in gravi Schiſmate, & contumacia ſeu rebellione manifeſta Dñi Magiſtri & Ordinis per dies octo perſtiterit, nec non & gravia ſcandala contra Ordinem nutrientes vel generantes; ac etiam Falſarii Chartarum aut Litterarum vel ſigillorum quorumvis Prælatorum: Si quis de notabili furto & lapſu carnis, ſeu quolibet alio capitali crimine convictus, vel confeſſus fuerit; Qui per conjurationem vel conſpirationem, ſeu per malitioſam concordiam, adverſus Magiſtrum Ordinis Præpoſitos vel Prælatos ſuos manifeſte ſe erexerint, in Dominum Magiſtrum Ordinis, Præpoſitum vel Prælatum violentas manus injicientes, atque graviter calumniantes eoſdem; Quicumque contra eos auxilium, conſilium vel favorem petierint extra Ordinem quarumvis Perſonarum in præjudicium dictorum Ordinis aut Magiſtri, niſi reſipuerit intra octo dies; Quicumque cauſam depoſitionis Domini Magiſtri, vel correptionis ipſius, aut ſecretum Capituli, vel diſſenſionem Definitorum, alicui Perſonæ extra Ordinem publicaverit, ſeu etiam revelaverit, unde Ordo Noſter turbari poſſit, vel infamari. Item graviſſima culpa, vel incorrigibilitas, illius videlicet, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recuſat ferre. Talis de conſilio Diſcretorum carcerali cuſtodiæ mancipetur; & ibidem ſecundum exigentiam culparum, juxta diſcretionem Prælati, jejuniis & abſtinentiis puniatur: vel ſecundum Regulam Patris Noſtri Benedicti, ſi magis expediens judicatur, exutus habitu Ordinis de Ordine expellatur; ſi tamen uſque ad aliam horam ſani capitis & integri ſenſus extiterit; tunc enim hujuſmodi furioſi tractandi erunt, ut in Capitulo de Amentibus eſt notandum. Pro hujuſmodi culpis graviſſimis, & ſimilibus, ſi quis deinceps convictus fuerit, vel confeſſus, carcerali cuſtodiæ mancipetur; & ibidem ſecundum Regu-

lam, & exigentiam culparum, ad discretionem Magistri Ordinis puniatur.

De Sententiis Excommunicationis, suspensionis, Interdicti, depositionis. Cap. XI.

SUbditos, qui consentire noluerint receptioni alicujus Clerici, ubi non est completus numerus Clericorum, voce ulterius recipiendi Fratres, & Præpositum eligendi, ex tunc privatos esse pronunciamus, quousque fuerint per Dominum Magistrum, aut Generale Capitulum restituti. Præpositus autem vel Prælatus, qui aliquam Mulierem in Sororem sine licentia receperit cum effectu, eo ipso a Præpositurae seu Prælaturæ Officio sit suspensus: & totus Conventus Fratrum per Annum unum integrum singulis sextis feriis jejunabit in pane & aqua; & receptio sic facta sit irrita, & inanis, & Soror nihilominus expellatur. Similiter & Prælati Domorum Ecclesias non habentium, vel habentium, & non habentium possessiones aut reditus unde vivant, & receptiones Fratrum vel Sororum fecerint, pœnam sustineant suprascriptam. Quicumque Præpositus Laicum in Clericum, vel Conversum in Laicum fecerit, eo ipso sit suspensus a Præpositurae Officio, quousque fuerit per Dominum Magistrum Ordinis restitutus, & alias, prout eidem videbitur, puniendus. Eadem pœna plectatur qui Personam aliquam illegitimam, vel Famulum in Domo aliqua sub mercede conductum in Fratrem receperit; qui duos Fratres vel duas Sorores in eadem Domo receperit. Qui autem Domos vel possessiones Ordinis alienaverit, vel alienari consenserit, quique in prædictis præstiterit auxilium, consilium vel favorem in Ordinis præjudicium, ipso facto sit excommunicatus, & si Præpositus fuerit, vel Prælatus, Prælationis Officio sit privatus, ut in Rubrica de rebus Ordinis non alienandis. Si qui Conventus, vel aliquæ Personæ Ordinis Nostri inter se quæstionem aliquam seu dissensionem habuerint, & extra Or-

Ordinem appellaverint, eo ipso omni Dignitate & honore penitus sint privati, & ulterius non possint ad Præposituram, Prælaturam, Canevariam, vel aliud quodcumque Officium aliquatenus in posterum eligi vel assumi, & talis quæstio vel dissensio per Dominum Magistrum vel ejus Vicarium aut Personas idoneas electas a Partibus, finaliter terminetur.

De Apostatis. Cap. XII.

Apostatæ, qui ejecti vel egressi de Ordine fuerint, etiam qui in Apostasia Sacros Ordines receperint, aut Uxores tenuerint vel Concubinas non recipiantur ad Ordinem, nisi de licentia Domini Magistri. Sed nec ad bibendum nec ad comedendum, vel alia aliqua occasione recipiantur Apostatæ in Domibus nostris. Si vero quisquam Apostata misertus sui redierit, postquam receptus fuerit, depositis vestibus in Claustro, nudus in Capitulum cum virgis veniat, & prostratus suam culpam dicat, & humiliatus veniam petat; & quamdiu Præposito placuerit, pœna gravioris culpæ subjaceat. In Capitulo nudum se præsentabit semel singulis septimanis: infra hoc tempus pœnitentiæ ubique in Conventu novissimus erit; & quantum in Apostasia permanserit, quarta & sexta Feria in pane & aqua jejunabit. Et peracta pœnitentia, ad priorem locum non redeat, nisi per Dominum Magistrum cum eo fuerit dispensatum, ita tamen ut tempus quo fuerit in Apostasia non computetur ei quoad locum, sed sit sub illis omnibus qui habent plus temporis in Ordine quam ipse habuerit quando exivit. Quod si secundo fugerit, & iterum redierit, supradicto modo pœniteat, & primo Anno secundus addatur, & si tertio, tertius. Omnibus tamen Fratribus pro hujusmodi Pœnitentibus humiliter in Capitulo deprecantibus, Præpositus pœnitentiam eorum quum prospexerit, ei indulgere vel remittere poterit secundum quod visum fuerit vel placitum suæ directioni. Si quis igitur in Apostasia ordinatus fuerit, vel post

Excommunicationem celebrare præsumpserit in ea Excommunicatione, dignitate Officii perpetuo carebit, nisi forte postea ita religiose conversatus fuerit, ut cum eo Auctoritate Sedis Apostolicæ dispensetur. Qui vero semel apostataverit, vel de lapsu carnis confessus fuerit, vel convictus in Judicio, de cætero non possit promoveri ad Præposituram vel Prælaturam aliquam vel Canevariam vel Mercantiam, seu ad aliquam aliam Dignitatem, nec gerere vices Præpositi vel Prælati, nec vocem in Capitulo habeat, nisi se accusando, nec de cætero prædicet, nec audiat Confessiones, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur, nisi per Dominum Magistrum & Definitores Generalis Capituli fuerit restitutus. Qui vero semel apostataverit, nunquam reducatur in Domum suam, sed omni jure quod in ipsa habuerit, perpetuo sit privatus, nisi resipuerit infra mensem. Qui siquidem ad regendas Animas, vel Ecclesias Sæculares ierit, vel ad commorandum in eis, pro Apostata habeatur & censeatur omnibus modis. Teneantur quoque Vicarii, Visitatores, & Præpositi auferre caputium & habitum Fratribus fugitivis.

De Litteris dimissoriis. Cap. XIII.

Litteræ generales absque consensu Domini Magistri nemini concedantur; & quando conceduntur, semper in eis terminus, quo dantur, & ultra quam non valeant, inscribatur: & in ipsis Litteris, quod Habitum Nostri Ordinis non deferant ultra datum sibi terminum, caveatur. Ille vero qui tales receperit Litteras ab Ordine discedens, si reverti voluerit, non recipiatur nisi de licentia Domini Magistri: sed nec aliquis Præpositus absque Domini Magistri consensu audeat ipsum retinere.

TER-

TERTIA DISTINCTIO.

De Indumentis. Cap. I.

INdumenta & habitus sint omnibus idem, & possint habere Fratres hæc indumenta; videlicet cappas duas, caputia duo hiemalia & æstivalia, mastrucam unam agninam (1), tres tunicas, pelliciam vel quartam tunicam, vestem lineam, vel tunicam tritam seu semilineam, & guarnatiam super caputium & alias vestes. Possunt etiam habere duo paria subtularium hiemalium & æstivalium, & tria paria caligarum, & totidem pedulium, botas quoque atque patitos. Omnia vero indumenta lanea sint naturalis coloris, nec tincta nec dealbata, aut artificiose crispa: linea sint sane grossa, omni notabili subtilitate remota. Possunt etiam habere in lecto sacconum aut filtrum, pulvinar, linteamina lanea, coopertorium agninum coopertum vel discoopertum. Omnes autem Fratres tam in nocte quam in die tunicam unam ad minus, & cingulum & caligas teneant, nec non & caputium, nisi quando caput abluerint aut raduntur. A Festo Sancti Michaelis usque ad Pascha ad Matutinum Missam & Vesperum sint semper in cappa, si habent; in Matutino tamen loco cappæ poterunt portare Mastrucam. A Pascha autem usque ad Sanctum Michaelem liceat eis esse in caputio sine cappa. Nulli nempe Personæ noster habitus concedatur ad deferendum, nisi forte scapulare sine caputio volentibus in Domibus nostris conversari religiose. Cultellos autem cum veretis argenteis (2), corrigias quoque duplices & consutas nemo deferre præsumat, aut alia notabilia: sed neque sigilla, nisi solum Præpositi & Prælati & Mercatores. Vela vero in Civitate & Suburbiis omnes Sorores secundi Ordinis portare teneantur. De

(1) Vocem hanc, aliasque, quibus Humiliatorum vestes designantur, explicuimus Vol. I. pag. 65.

(2) V. sup. pag. 130.

De Negotiatione. Cap. II.

NEgotiationem pro extranea Persona facere, vel res mobiles causa vendendi emere, nisi transmutentur in statum alium, nemo præsumat. Neque etiam mittant pannos vel alias merces seu res aliquas extra Civitatem propriam vel Loca ad vendendum. De Artificio autem vel quolibet alio Officio Fratres curam illorum habentes rationem suis Præpositis vel Prælatis, & aliis pluribus Fratribus circa Nativitatem Domini explicite reddant; & tunc universo Conventui notum fiat debitum universum. Et qui contrafecerint, puniantur, ut in Rubrica de pœnis culpæ gravioris.

De rebus Ordinis non alienandis. Cap. III.

RES Ordinis alienari nolentes statuimus, & sub Excommunicationis interminatione arctius prohibemus, ut Persona nulla Ordinis Nostri alienationem seu translationem ullam de Ecclesia, Domo vel possessione ad Ordinem Nostrum spectante, in ipsius Ordinis præjuditium faciat per se, seu fieri procuret per alium seu alios quoquo modo, publice vel occulte. Sed nec facientibus consilium, auxilium vel favorem tribuat nec consensum; nec etiam alteri Ordini Ecclesiam, Domum vel possessionem Ordinis Nostri aliquo modo, ingenio, vel colore unire, tradere vel transferre præsumat, absque Domini Magistri Ordinis obtenta licentia speciali. Quod si contra prædicta, vel aliquod prædictorum factum fuerit, ipso facto non teneat, nec alicujus firmitatis existat: sed potius ex nunc quidquid contra factum fuerit cassamus & irritamus. Omnes vero & singulos contra hujusmodi nostræ Constitutionis tenorem venire seu facere præsumentes, præsenti Statuto in nostro Generali Capitulo promulgato, Excommunicationis vinculo innodamus; & si Præpositus vel Prælatus fuerit, ipso facto a Præpositura sive a Prælaturæ Officio sit privatus, ad nullam aliam de cætero assumendus: Si vero Subditus fuerit, tan-

tanquam infamis & rebellis Ordinis, ad Prælaturam aliquam seu Prioratum vel Canevariam aut etiam Mercationis Officium nequeat promoveri; sed de Domo expellatur, ad ipsam deinceps minime reversurus, ut habetur in Rubrica de pœnis spiritualibus.

De Libris. Cap. IV.

Libros de rebus Domus non acquisitos Præpositus vel Prælatus acquirenti concedat ad usum, sed post acquirentis obitum Domui, in qua fuerint acquisiti, restituantur. Indumenta quoque Præpositorum vel etiam Subditorum, qui decedunt in Conventu alio quam in suo, restituantur Conventui, in quo est professus post obitum eorundem, illis exceptis quæ acquisierit in Conventu in quo devixerit, quæ ad ipsum Conventum decernimus pertinere. Fratres vero Laici primi Ordinis de cætero non habeant libros, nisi Psalteria tantum: qui tamen habent nunc Breviaria, libere ipsa tenere possint.

De Itinerantibus. Cap. V.

Itinerantes, si longe proficiscuntur, litteras testimoniales Præpositorum vel Prælatorum suorum sigillis munitas secum deferant: nam illos, qui illas non habuerint, Conventus recipere, ad quos declinaverint, nullatenus teneantur. Nullus ergo Præpositus vel Prælatus aut alius Frater Ordinis nostri sine licentia Domini Magistri vel Vicariorum Generalium speciali, & litteris vadat ad Curiam Domini Papæ, sed nec ad Dominum Magistrum aliquis Subditus sine licentia & litteris Vicariorum vel suorum Præpositorum. Caveant autem singuli, ne aliquando sigillent vacuum pergamenum, aut litteras, quas non viderint vel legi audierint. Hospites quoque caveant, postquam hospitati fuerint in Domibus nostris, ne inde exeant sine licentia Præpositorum vel Prælatorum ipsarum Domorum. Contrafacientes puniantur ut in Rubrica de pœnis culpæ gravis. Humanitatis servitia impen-

pendantur eis charitative, ficut in Regula continetur: qui poftquam ad Domos Ordinis declinaverint, in Ecclefia Horis Canonicis, in Refectorio, & in Capitulo culparum poft biduum intereffe teneantur, ficut Fratres cæteri de Conventu.

De expenfis communibus Ordinis. Cap. VI.

EXpenfæ, quæ pro Ordine factæ fuerint, plene, diftinćte, & particulariter legantur quolibet anno coram Præpofitis & Prælatis, ad faciendum rationes electis in Capitulo Generali, præfente Domino Magiftro & Canevario fuo, & poftmodum in ipfo Capitulo pleno legantur in fumma tantum. Et poffit ac debeat Dominus Magifter per fe vel per alium feu alios mutuari quantumcumque videbitur fibi, & obligare cujuslibet bona Domus Ordinis, Domos, Fratres & Conventus qui in obedientia Ordinis funt, & hactenus extiterunt, & pro cenfu folvendo, & Apoftolorum liminibus vifitandis, & falario Syndicorum, nec non pro aliis expenfis pro utilitate Ordinis in Romana Curia neceffario faciendis. Et fi quæ aliæ non confuetæ fuerint faciendæ, Dominus Magifter fuper his expenfis faciendis convocet folemne Confilium, & ad ipfum tot convocet de Præpofitis & Prælatis extra Mediolanum quot habuerit de Mediolano. Et fi aliter expenfæ factæ fuerint, non teneatur contribuere illa pars, quæ fic æqualiter non fuerit convocata, nifi cafus fubitus eveniret, propter quem non poffet ita folemne confilium fic velociter convocare. Famulis autem & equis, quos Præpofiti vel Prælati ad Capitulum duxerint, non a Communitate Ordinis expenfæ, fed a ducentibus illos, extra ipfum Capitulum fiant. Fratribus quoque, fuis exigentibus culpis de Domibus emiffis, in illis Conventibus, in quibus Ordinem funt profeffi, tam de omnibus veftibus & calceamentis, quam de conductione pannorum fuorum, & etiam Perfonarum, omnes penitus fumptus fiant. Quum vero contigerit Dominum Magiftrum ad Domum aliquam declinare, Fratres illius Domus ei

& Fa-

& Familiæ ſuæ, & Equis de omnibus neceſſariis providebunt per duos dies continuos, & ulterius ſi viſitabit Domum, donec viſitatio fuerit definita. Coquina vero Conventualis, ligna & hujuſmodi nunquam eis computabitur. Canevarius vero Ordinis nullatenus fiat aut eſſe poſſit Canevarius Fratrum Mediolani aut alterius Fraternitatis. Si autem contigerit (quod abſit) aliquem Fratrem capi, pro Fratre hujuſmodi redimendo nullæ omnino expenſæ fiant.

De Converſis. Cap. VII.

CONverſorum veſtimenta ſint hæc: ſcilicet tunica, pellicia, vel ſecunda tunica, camiſiæ & brachæ de ſtupa groſſa. Quod ſi laneis veſtibus uſi fuerint, tertia tunica dari conceditur, ſi Præpoſito videbitur expedire: item Caputium unum uſque ad genua, & aliud magnum, ſubtelares, & patiti, caligarum paria duo, pedulorum par unum, & ſcalfinorum paria duo. Tunica & caputia ſint de verdeto. In Refectorio cum Fratribus comedant in ultimis locis, & eis alimenta Fratrum communia tribuantur. Jejunia ſolemnia ſicut Fratres obſervent. A Feſto Sanctæ Crucis uſque ad Paſcha Feria quarta & ſexta, & totam Quadrageſimam ante Nativitatem Domini, & a Quinquageſima uſque ad Paſcha ſimiliter jejunent. Ad Capitulum veniant; & lecta Regula cum Novitiis, ſi fuerint, exeant. Pro Matutino dicant quindecim *Pater noſter*, & pro qualibet alia Hora ſeptem *Pater noſter*. Finita Probatione, in Capitulo Præpoſito obedientiam faciant manualem.

De Leproſis & Amentibus. Cap. VIII.

LEproſis in Domibus propriis, in locis eis deputatis, ſeorſim ab aliis ſerviatur. Quod ſi qua Domus illarum inopia vel paucitate Perſonarum deprimitur, cæteræ Domus Civitatis & Diœceſis ejuſdem illi teneantur communiter ſervire. Si vero in amentiam quis inciderit, evagari non ſinatur, ſed in Domo propria in compedibus, vel in carcere, ſi taliter viſum fuerit, teneatur.

De Defunctis. Cap. IX.

DEfuncti Fratres cum tunica, & caputio, caligis & fubtularibus, & cingulo fepeliantur. Quorum Brevia (3) poft obitum eorum ad primum Generale Capitulum deferantur, ibi ab eo cui vifum fuerit recitanda; & poft recitationem a Domino Magiftro Ordinis abfolvantur (4). Similiter quilibet Præpofitus vel Prælatus Novitios, quos receperint, Domino Magiftro & Definitoribus ftudeant nuntiare. Pro quibus omnibus Defunctis quilibet Sacerdos infra annum dicet tres Miffas, & cæteri Fratres & Sorores unum Pfalterium, & qui ipfum nefciunt, centum quinquaginta *Miferere mei Deus;* & qui nefciunt *Miferere mei Deus*, trecentum *Pater nofter*. Anniverfarium autem eorum fic pronuntiatur. Obiit Frater N. Præpofitus nonus vel decimus talis Domus, vel obiit Frater N., & dicatur *Miferere mei Deus*, *Pater nofter* fine *Kirie eleifon*. ℣. *A porta Inferi*. ℟. *Erue Domine animam ejus*. ℣. *Dominus vobifcum*. Oratio. *Abfolve Domine animam ejus, & omnium Fidelium Defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut inter Sanctos & Electos tuos refufcitati refpirent per eum qui venturus eft judicare vivos & mortuos & fæculum per ignem*. Deinde dicat Lector: *Commemoratio omnium Fratrum, Sororum, Familiarium, & Benefactorum Ordinis Noftri*. Et qui tenet Capitulum dicat: *Requiefcant in pace*; & Conventus refpondeat: *Amen*. Ad lavandum autem extraneorum corpora Defunctorum Fratres de cætero non accedant.

Expliciunt Conftitutiones Domus Sancti Calimerii.

QUAR-

(3) *Brevia*, ut explicat Cangius ad hanc vocem, funt literæ, quibus alicujus obitus nunciatur.

(4) *Abfolvere Defunctos* idem eft ac *Collectam Mortuorum* recitare, cujus initium eft: *Abfolve Domine*, &c.

QUARTA DISTINCTIO.

INfrascriptæ sunt quædam Constitutiones, quæ quodammodo utpote extravagantes, abrasæ fuerunt, & sunt repertæ in medio voluminis Constitutionum Conventus constructi in Domo de Argine de Placentia Anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo Indictione prima.

Contra recipientes Sacros Ordines. Cap. I.

IN primis quidem ordinamus, statuimus, & definimus, quod nullus Frater Ordinis recipiat Sacros Ordines sine licentia sui Præpositi vel Prælati; aliter ipso facto sit Excommunicatus, & nihilominus de Domo sua propria expellatur, ad ipsam non reversurus per triennium sine licentia Capituli Generalis.

Quod nulli liceat exire Domum sine licentia. Cap. II.

ITem definimus, statuimus, & ordinamus, quod nullus Frater nostri Ordinis exire audeat propriam Domum seu sibi deputatam, absque sui Præpositi voluntate. Quod si contra facere attentaverit, puniatur ad voluntatem Præpositi sui vel Prælati. Et si steterit per octo dies in sua contumacia, ipso jure & facto sit Excommunicatus, & eliminetur de Domo sua, non reversurus ad ipsam absque Capituli Generalis licentia.

De pœna vulnerantium graviter, vel occidentium. Cap. III.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod quicumque graviter vulneraverit vel occiderit Præpositum, Prælatum, vel Subditum, capiatur, detineatur, & incarceretur perpetuo, & contra ipsum procedatur velut contra homicidam ad expensas communes Ordinis, jejunando in pane & aqua, secunda & sexta Feria toto tempore vitæ suæ.

T 2 munes

De non portando arma, nec tenendo, nec etiam portando diploidem. Cap. IV.

ITem ordinamus, ftatuimus, & definimus, quod nullus Frater noftri Ordinis poffit & debeat arma defenfionis vel offenfionis, etiam diploidem (1) portare, vel in Cella fervare, vel alio quocumque loco nomine fuo tenere, fine licentia fui Præpofiti vel Prælati. Quod fi quis contra fecerit, ipfo facto fit Excommunicatus; & nihilominus de Domo propria elimin etur, non reverfurus ad ipfam abfque licentia Domini Magiftri vel Capituli Generalis.

De non comedendo pinguia diebus Sabbati. Cap. V.

ITem ordinamus, ftatuimus, & definimus, quod deinceps diebus Sabbatis nullo modo pinguia comedant (2).

De non dando licentiam alicui poffendi aliquem habitum affumere, nifi prius Ordinis habitum dimiferit. Cap. VI.

ITem ordinamus, ftatuimus, & definimus, quod Litteræ generales non dentur alicui de Ordine noftro, qui velit ire ad majorem Ordinem, nifi prius depofuerit habitum noftri Ordinis.

Si

(1) Duplicis veftis genus. V. Cangium ad hanc vocem, ubi hujus veftis genus Monachis interdictum oftendit.

(2) Carnium abftinentia hac die jam a Gregorio VII. ftatuta fuerat. V. Mabill. *Præfat. ad Act. SS. Ord. S. Bened. Sæc. V. num. CXVI.*, & Martene *de Antiquis Ecclef. Ritib.* T. III. pag. 71. Itaque non video, quæ legis hujus apud Humiliatos ftatuendæ neceffitas.

Si quis Frater petierit Brachium Sæculare contra correctionem sibi factam, excommunicatus sit. Cap. VII.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod correctio Ordinis fieri debeat secundum quod in consuetudine continetur. Et aliquis Frater nostri Ordinis, si propter aliquam correctionem petierit auxilium Brachii Sæcularis, ipso jure sit excommunicatus, & sit privatus a Domo per tres annos, non reversurus ad ipsam nisi de licentia Capituli Generalis.

De his qui in adulterio deprehensi fuerint. Cap. VIII.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod si Frater aliquis vel Soror Ordinis nostri simul adulteraverint, de Domo propria emittantur, amplius ad ipsam non reversuri. Et super hoc Dominus Magister non valeat dispensare.

De non recipiendo pecuniam mutuo ab Amico vel Affine, causa faciendi mercantiam. Cap. IX.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod nullus Frater Ordinis nostri debeat recipere pecuniam ab aliquo suo Propinquo vel Affine, vel a quocumque alio, causa faciendi aliquam mercantiam sive mercatum. Et si contrafecerit, de Domo propria expellatur, eliminetur, per biennium non reversurus ad ipsam.

QUINTA DISTINCTIO.

INfrascriptæ Constitutiones sunt quædam Ordinationes ordinatæ in Domo de Ripalta anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono.

Contra acceptantes Ecclesias Sæculares. Cap. I.

IN primis ordinamus, statuimus, & definimus, quod nullus Frater nostri Ordinis, qui deinceps transierit ad aliquam Ecclesiam Sæcularem, ulterius in Ordinem recipi debeat aliqua ratione.

De carceribus fiendis. Cap. II.

ITem ordinamus, ſtatuimus, & definimus, quod carceres Ordinis noſtri fiant ad communes expenſas Ordinis in Laude, in Parma, in quibus includantur, & incarcerentur Fratres Ordinis, ad ipſos mittendi ſecundum Ordinis inſtituta. Qui vero apoſtataverit, & per plures annos in apoſtatando permanſerit, ſi redire ad Ordinem voluerit, non recipiatur niſi ad carceres, ſuis vel Parentum ſuorum ſumptibus & expenſis, & tanto tempore permaneant degradati, quanto in Apoſtaſia fuerunt.

De raſura facienda, & quando. Cap. III.

ITem ordinamus, ſtatuimus, & definimus, quod raſura debeat fieri a Paſcha uſque ad S. Michaelem ad dies decem. A feſto autem S. Michaelis uſque ad Paſcha de quindena in quindenam.

De non recipiendo Fratres ſine licentia Domini Magiſtri. Cap. IV.

ITem ordinamus, ſtatuimus, & definimus, quod nullus Frater recipiatur in Ordine abſque Domini Magiſtri licentia ſpeciali.

De ſatisfactione taxarum impoſitarum in Capitulo Generali. Cap. V.

ITem ordinamus, ſtatuimus, & definimus, quod quælibet Domus ſive Conventus Ordinis teneatur & debeat de cætero omni tempore in quolibet Feſto Omnium Sanctorum integraliter ſatiſfeciſſe Canevariis Ordinis, quibus tenebuntur, de pecunia eiſdem impoſita in Generali Capitulo pro communi contributione conſueta in ipſo Capitulo Generali. Si autem ſecus factum fuerit, quod Præpoſiti, Prælati, & cæteri Officiales Domorum Ordinis pro ſuis Domibus ſupradictis non ſatisfecerint plenarie, prout præmittitur, eo ipſo vigore hujus Conſtitutionis ſententiam Excommunicationis incurrant, ac in Foro Eccleſiæ ſint ſuppoſiti Eccleſiaſtico Interdicto. A quibus ſententiis abſolvi non debeant

quouſque

quousque plenarie satisfecerint, quibus debuerint, modo superius annotato. Et de hoc debeant fieri Litteræ generales a Domino Magistro, aggravantes processus, in quantum de jure poterit, contra quemlibet alium in contrarium venientem.

SEXTA DISTINCTIO.

INfrascriptæ Constitutiones sunt aliæ extravagantes & abrasæ, ut supra, factæ & ordinatæ in Domo Sancti Bartholomæi de Modoetia anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo primo Indictione quarta.

Quod nullus vadat extra Loca Ordinis ad discendum cantum vel biscantum. Cap. I.

IN primis ordinamus, statuimus, & definimus, quod nullus Frater Ordinis debeat ire ad Scholas Magistrorum Sæcularium, ad discendum cantum vel biscantum. Et qui contra fecerit, de Domo propria expellatur.

De non alienandis bonis Ordinis. Cap. II.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod nullus Præpositus, Prælatus, Subditus vel Conventus alienationem faciat in bonis mobilibus Ordinis, nisi prius petita licentia, & obtenta a Domino Magistro. Contra facientes puniantur, ut in Rubrica de rebus Ordinis non alienandis continetur, illa Constitutione in suo robore duratura. Addentes autem illi particulæ, quæ sic jacet: *absque Domini Magistri Ordinis:* omnem alienationem, venditionem, seu translationem, matura deliberatione, consilio, tractatu, & obtenta licentia speciali.

Quod

Quod jejunium de Adventu debeat incboari in Festo Sancti Martini. Cap. III.

ITem statuimus, ordinamus, & definimus, quod jejunium de Adventu incipiat a Festo Sancti Martini per totum Ordinem.

Quod non comedantur ova & caseus in Feria sexta. Cap. IV.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod caseus & ova non comedantur in diebus Veneris nec ab hospitibus nec in Conventu, nisi esset infirmitatis causa.

De apprehensis in adulterio, furto, & perjurio. Cap. V.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod si aliquis Frater deprehensus fuerit in adulterio, furto, perjurio, vel in aliquo crimine pernicioso, puniatur ut in Capitulo de gravissima culpa continetur: Addentes: usque ad triennium non debeat promoveri ad aliquem actum legitimum, nisi usque ad decem annos sequentes promoveatur ad aliquam dignitatem.

De Apostatis. Cap. VI.

ITem ordinamus, statuimus, & definimus, quod si aliquis Apostata steterit extra Ordinem per tres annos, nunquam debeat promoveri ad aliquam Dignitatem Ordinis, & non debeat reverti ad Domum propriam per decem annos, & nunquam habeat vocem in Capitulo, nec admittatur ad aliquem actum legitimum, & semper ultimus omnium debeat esse,

De Confirmatione Constitutionum. Cap. VII.

ITem definierunt, & statuerunt, quod omnes Constitutiones, quæ sunt in Corpore Constitutionum (dempta illa, qua cavetur, quod Dominus Magister tenetur per Sacramentum de triennio ad triennium resignare; quam irritant protinus & totaliter an-

annullant) ſint probatæ & confirmatæ, & habeant perpetuam & omnimodam firmitatem.

Quod Vicarii non habeant poteſtatem aliquam ſuſpendendi ab adminiſtratione temporalium. Cap. VIII.

ITem ordinamus, ſtatuimus, & definimus, quod nullus Vicarius habeat poteſtatem ſuſpendendi ab adminiſtratione temporalium Præpoſitum aliquem pro aliqua cauſa, abſque ſpeciali & patenti licentia Domini Magiſtri.

De conſtruendis Carceribus, & in quibus Locis. Cap. IX.

ITem ſtatuimus, & definimus, quod in infraſcriptis Domibus fiant carceres; videlicet in Domo omnium Sanctorum de Florentia, & in Domo de Glarea Veronenſi, in Domo de Parma, Sancti Joannis de Alexandria, de Zeno de Como, Sancti Abundii de Cremona, & de Miraſole; ſalvo quod ubi ſunt facti, ſi ſunt ſufficientes, non intendunt quod de novo fiant.

Quod Fratres & Sorores non poſſint confiteri niſi cum illis de Ordine. Cap. X.

ITem ſtatuimus, quod nullus Frater vel Soror Ordinis noſtri poſſit vel debeat confiteri cum aliquo Sacerdote, niſi Ordinis noſtri ſit Profeſſus, abſque Domini Magiſtri licentia ſpeciali; & omnes litteræ in contrarium conceſſæ vigore Conſtitutionis hujus nullam obtineant firmitatem.

Quod nullus poſſit ad Sacros Ordines promoveri, niſi ſit examinatus in Ordine. Cap. XI.

ITem ſtatuimus, & definimus, quod nullus Frater Ordinis promoveatur ad Sacros Ordines, niſi per Dominum Magiſtrum, vel ejus Vicarium, aut Viſitatores fuerit examinatus.

Quod nullus Frater sine licentia speciali sui Præpositi possit ire ad rotam Sororum ad loquendum. Cap. XII.

ITem statuimus, & definimus, quod si aliquis Frater Ordinis nostri iverit ad portam vel rotam seu fenestram Sororum absque sui Præpositi vel Prælati licentia speciali, si postquam monitus tertio a suo Præposito vel Prælato, non resipuerit, Præpositus suus vel Prælatus Fratrem illum de Domo propria amoveat in continenti, quum ipsum transgredi contigerit; nec possit Præpositus vel Prælatus cum ipso aliter dispensare, quam ut supra præmittitur.

Quod non possint simul habitare copulantes carnaliter. Cap. XIII.

ITem statuimus, ac definimus, quod nullus Ordinis Frater vel Soror peccatum carnis ad invicem committentes possit in eadem Domo stare: immo altero vivente alter ad Domum propriam revocetur.

Quod non possint ire extra loca Ordinis ad studendum sive ad discendum cantum. Cap. XIV.

ITem definierunt, ac statuerunt, & ordinaverunt, quod nullus Frater Ordinis nostri ad studendum extra Domos Ordinis ad quævis studia litterarum vadat absque licentia Domini Magistri & Definitorum Capituli Generalis, & etiam Præpositi vel Prælati sui, majorisque partis Conventus; & Fratres omnes, qui sunt in Studio extra Ordinem, hinc ad Kalendas Aprilis debeant remeare ad Domos proprias.

Incipiunt Constitutiones factæ in Domo de Galgari Pergomensi Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo.

SEPTIMA DISTINCTIO.

PROLOGUS.

FRater Benedictus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Ordinis Humiliatorum Generalis Magister, universis & singulis Præpositis & Prælatis Ordinis antedicti salutem & sinceram in Domino Charitatem. Quamvis de Pastorum providentia debeat provenire, ut suos Subditos Statutorum uniformitate dirigant vota sua & informent; Constitutionum tamen nimietas, ne confusionem inducat, debet merito evitari, præcipue si hoc evidens necessitas, vel utilitas non exposcit. Unde nuper in nostro Generali Capitulo in Domo nostra de Galgari de Pergamo celebrato fuit per nos & Definitores Capituli definitum, quod discreti Viri Præpositi de Mirafole, Sanctæ Crucis de Novaria, de Alba, de Pistorio, nec non Prælatus Sanctorum Jacobi & Philippi Brixiensis, & Frater Guilielmus Domus Braydæ Professus, omnes Constitutiones Ordinis nostri, tam illas quæ sunt in Volumine Constitutionum correctarum tempore Domini Fratris Beltrami olim Magistri Generalis, quam omnes alias, quæ postea in diversis Capitulis Generalibus emanarunt, diligenter examinarent & corrigerent, superflua resecando, & utilia approbando. Nos igitur cum prædictis sic electis, visis & diligenter examinatis multis Constitutionibus post dictum Volumen editis in pluribus Capitulis Generalibus solum duodecim infrascriptas ratificare duximus, ac etiam confirmare: quum omnes alias superfluas & non necessarias, aut sibi ipsis contrarias probaverimus evidenter. Ratificamus etiam & approbamus omnes Constitutiones in prædicto volumine con-

tentas, aliquibus (prout visum fuit consonum rationi) declaratis, mutatis, additis, & subtract's, prout inferius videbitis contineri. Quas sub sigillo nostro dirigimus, & volumus inviolabiliter observari. Omnes autem alias Constitutiones, quæ extra dictum Volumen reperirentur, in quocumque Generali Capitulo editas, cujuscumque tenoris existant, cassamus, & irritamus auctoritate nobis commissa a Definitoribus Capituli Generalis.

De non recipiendo Sacros Ordines nisi cum licentia. Cap. I.

IN primis quod quicumque Frater Ordinis receperit Sacros Ordines non habita licentia sui Præpositi vel Prælati, ipso facto sit excommunicatus, & nihilominus de Domo propria emittatur, non reversurus ad ipsam per triennium sine licentia Domini Magistri & Capituli Generalis.

De non comedendo pinguia in Sabbato. Cap. II.

ITem quod in diebus Sabbati non comedantur pinguia in Refectorio vel extra, nisi causa infirmitatis, vel alia evidenti necessitate.

De armis non tenendis. Cap. III.

ITem quod nullus Frater Subditus possit & debeat arma offensionis vel defensionis vel diploidem portare, vel in cella, vel alibi suo nomine retinere absque licentia sui Præpositi vel Prælati. Nec etiam Præpositi vel Prælati diploidem deferant. Si quis autem contrafecerit, ipso facto usque ad beneplacitum Domini Magistri, si est Subditus, voce Capituli sit privatus; si vero sit Præpositus vel Prælatus, ipso facto a Præpositturæ vel Prælaturæ Officio sit suspensus.

De

De lapſu carnis & ejus pœna. *Cap. IV.*

ITem ſi aliquis Frater vel Soror de lapſu carnis confeſſi fuerint vel convicti, de Domo propria emittantur, & in ipſa Domo vel alio Conventu ſimul nequeant habitare, & ſuper hoc Dominus Magiſter non valeat diſpenſare.

De receptione Fratrum. *Cap. V.*

ITem quod nullus Frater recipiatur in Ordine abſque Domini Magiſtri licentia ſpeciali.

De Vicariis & Viſitatoribus. *Cap. VI.*

ITem quod nullus Vicarius aut Viſitator poſſit aliquem Præpoſitum vel Prælatum ab adminiſtratione temporalium aut ſpiritualium ſuſpendere abſque Domini Magiſtri patenti commiſſione, & de licentia ſpeciali.

De Sancto Benedicto. *Cap. VII.*

ITem quod per totum Ordinem celebretur Feſtum principale de Patre noſtro Benedicto.

De Sancto Thoma de Aquino. *Cap. VIII.*

ITem Feſtum novem Lectionum annuatim celebretur de Beato Thoma de Aquino ſeptima die menſis Martii (t).

De Feſto Corporis Chriſti. *Cap. IX.*

ITem quod Fratres & Sorores communicent conventualiter in Feſto Corporis Jeſu Chriſti.

De

(t) S. Thomas jam ab an. 1323. a Joanne XXII. Sanctis adſcriptus fuerat, ejuſque feſtum hac ipſa die indictum. V. *Bullar. Rom.* edit. Luxemburg. ſeu potius Geneveſ. T. I. pag. 201.

De non venientibus ad Capitulum Generale. Cap. X.

ITem quod Præpositi vel Prælati non venientes ad Capitulum Generale causis legitimis impediti debent vices suas committere uni Præposito vel Prælato ad Capitulum venienti: non habentes autem causam legitimam remanendi nulli possint committere vices suas, & per unum mensem a Præpositurae vel Prælaturæ Officio sint suspensi.

De Homicidio. Cap. XI.

ITem quod quicumque commiserint homicidium, nec possint secundum Jura rationabiliter excusari, ad communes expensas Ordinis perpetuo carceri mancipentur, in quo exceptis diebus Dominicis, & Festis solemnibus, tertia & quinta Feria pane & aqua solummodo sustententur. Et hoc extendatur ad præsentia præterita & futura, exceptis hactenus purgatis & ad famam restitutis per Capitulum Generale.

De solutione Talearum. Cap. XII.

ITem quod quælibet Domus sive Conventus Ordinis teneatur & debeat de cætero in quolibet Festo Omnium Sanctorum integraliter satisfecisse Canevario Ordinis de pecunia eisdem imposita & taleata pro communi contributione in Capitulo Generali. Si autem Præpositi, Prælati, & alii Officiales Domorum pro suis Domibus plenarie non satisfecerint, eo ipso vigore Constitutionis hujus sententiam excommunicationis incurrant, ac eorum Ecclesiæ sint suppositæ Ecclesiastico Interdicto, a qua sententia Excommunicationis absolvi non debeant, nisi plenarie satisfecerint modo superius annotato. Et de hoc fiant litteræ Generales a Domino Magistro, aggravantes processus, in quantum de jure poterit, contra quemlibet in contrarium facientem.

Addi-

Additio quædam ad primam Constitutionem de ratificatione trium Capitulorum Generalium. Cap. XIII.

IN prima autem Constitutione, cujus titulus est *de Constitutionibus*, additum est, quod tunc demum per tria Generalia Capitula intelligatur Constitutio approbata, quum in tribus Capitulis Generalibus se immediate sequentibus de ejus approbatione facta fuerit mentio specialis. In quolibet autem Capitulo Generali ante omnia examinentur Constitutiones factæ in duobus Capitulis Generalibus præcedentibus; & tunc approbentur vel improbentur, prout Domino Magistro & Definitoribus videbitur convenire.

Alia Additio ad primam Constitutionem: Quod nullus possit profiteri nisi expleto anno suæ Probationis. Cap. XIV.

ITem eidem Constitutioni est additum, quod nullus Præpositus vel Prælatus, vel eorum vices gerentes faciant aliquem vel aliquam ante completum annum Probationis absque Domini Magistri licentia profiteri. Quod si quis eorum contra fecerit, ipso facto a Præposituræ vel Prælaturæ & gubernationis Conventus Officio sit suspensus: & taliter professus usque ad completum annum careat voce Capituli, etiamsi esset in Sacris Ordinibus constitutus.

Additio ad Constitutionem decimamquartam de dispensatione super silentio. Cap. XV.

ITem in quartadecima Constitutione, cujus titulus est: *de silentio:* est dispensatum, quod Fratres non teneantur tenere silentium, quando comedunt extra Refectorium.

Mutatio

Mutatio Constitutionis decimæ octavæ: De lotione capitis & rasura. Cap. XVI.

ITem in Constitutione decima octava, cujus titulus est: *De minutione & rasura;* mutatum, est quod lotio capitis, & rasura fieri debeat a Paschate Resurrectionis usque ad Festum Sancti Michaelis ad dies decem, a Festo autem Sancti Michaelis usque ad Pascha prædictum de quindena in quindenam.

De istis Constitutionibus in libro Constitutionum scribendis, & unoquoque anno publice legendis. Cap. XVII.

OMnes igitur supradictas Constitutiones, & Constitutionum interpretationes, correctiones, mutationes, additiones, & diminutiones faciatis scribi post compilationem Constitutionum correctam & promulgatam tempore Domini Fratris Beltrami Magistri Generalis; & eas, prout in dictis Constitutionibus continetur, faciatis quolibet anno legi in Capitulo vel in Refectorio. Data Pergami in Domo nostra de Galgari anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo, Indictione decimaquinta, die decimosexto mensis Maji.

Expliciunt Constitutiones de Galgari.

OCTAVA DISTINCTIO.

INfrascriptæ sunt Constitutiones editæ tempore Domini Fratris Jacobi Generalis Magistri in Capitulo Generali Domus Communis de Pergamo anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, & confirmatæ in Brayda de anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, & in Rondenario de anno millesimo trecentesimo quadragesimo tertio.

Cassatio

Cassatio juramenti de resignatione Præpositorum & Prælatorum. Cap. I.

NOs Frater Jacobus Magister, & Definitores, cassamus, irritamus, & annullamus sacramenta, quæ dicuntur esse præstita sine licentia Domini Magistri per omnes Fratres vel majorem partem, Domorum de Rondenario & Sancti Christophori de Vercellis, ac quarumlibet aliarum Domorum tam primi quam secundi Ordinis, continentia quod quilibet dictorum Fratrum, qui ad Præposituram vel Prælaturam ipsarum Domorum & Conventuum assumeretur, renuntiaret infra certum & determinatum tempus ipsis Præpositis vel Prælatis: & quod ipsi Fratres ultra dictum tempus vel eo elapso non obedient Præpositis vel Prælatis prædictis, mandantes & præcipientes universis Præpositis, Prælatis, & Subditis, quod dicta Sacramenta tanquam irrita & temeraria non observent.

De eliminatis e propriis Conventibus. Cap. II.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quotiescumque contigerit aliquem Vicarium removere aliquem de proprio Conventu propter sua demerita, & ad aliquem Conventum sui Vicariatus, vel (si in suo Vicariatu propter paucitatem Conventuum, vel alia rationabili causa locari non poterit) etiam extra suum Vicariatum transmittere possit, ille Præpositus vel Prælatus, ad quem talis Frater, ut supra, missus fuerit, ipsum teneatur recipere: alias autem sit suspensus ab Officio quousque per Dominum Magistrum fuerit restitutus. Et hoc idem intelligimus de quolibet Præposito & Prælato.

De complendo numero Clericorum primi Ordinis. Cap. III.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Dominus Magister quotiescumque visitabit aliquem Conventum primi Ordinis, investiget si ibi fuerit completus numerus Clericorum, qui illi Conventui taxati fuerunt per Constitutiones Ordinis; & si invenerit

dictum numerum non completum, cogat Præpositum & Conventum prædictum per notabiles processus & pœnas contentas in Constitutione de Clericis ad complendum numerum prædictum.

Cassatio juramenti de electione. Cap. IV.

ITem definimus Nos prædicti Frater Jacobus Magister Generalis ut supra, & Definitores Capituli Generalis, audita & diligenter examinata quadam significatione nobis facta ex parte Prælati & plurimorum Fratrum Domus de Glaxiate, inter cætera continente, quod omnes & singuli Fratres Conventus ejusdem, uno vel paucis exceptis, in præsentia Domini Fratris Guillelmi Fabæ tunc pro Magistro se gerentis, eoque approbante, juraverunt ad Sancta Dei Evangelia, corporaliter tactis Scripturis, quod de cætero non eligent aliquem Prælatum Domus ejusdem ultra biennium successive: super quo petierunt per nos cuilibet provideri, ut dicto Sacramento non obstante, possint in suis electionibus libere procedere secundum formam in eorum Regula dicti Ordinis & Constitutionibus contentam. Intellectoque quod etiam in Domibus de Monteforti, Braydæ ac Sancti Spiritus Mediolani, in præsentia etiam dicti Fratris Guillelmi tunc pro Magistro dicti Ordinis se gerentis, ipsoque ut supra suggerente & approbante, omnes & singuli Fratres Conventuum prædictorum tunc Professi similiter juraverunt manu corporaliter tactis Scripturis, quod de cætero nullus ipsorum eliget in Prælatum eandem Personam ultra secundam vicem & biennium immediatum; & si contingat aliquem ultra secundam vicem & biennium immediatum eligi, non consentiet tali electioni, nec se aliqualiter intromittet de tali Prælatura illa vice, nec ipsi nec aliquis eorum eidem Personæ obediet ultra biennium; ac etiam quod nullum de cætero recipient ad Professionem sui Conventus, nisi simile præstaret Sacramentum: attendentes quod dicta Sacramenta seu juramenta (si sic dici debuerunt) dispendiosa, temeraria, & exemplo perniciosa fuerunt & sunt ex

ex eo quod servata vergunt in detrimentum Salutis æternæ, quum secundum Deum & conscientiam bonam, & Canonicas Sanctiones dicti Fratres teneantur & debeant semper eligere meliorem & utiliorem, quod exequi aliquando non possent servando juramenta præfata: Omnia & singula talia Sacramenta seu juramenta irritamus, annullamus, & cassamus, ac servari non debere præcipimus, & mandamus; ac etiam irrita, & cassa, vana, temeraria, & perniciosa, & non servanda pronuntiamus, & sententiamus; disponentes etiam, quod si pro quolibet expedit, cum quolibet Fratre prædictorum, dictis Sacramentis non obstantibus, quoties expediet, possint utiliorem & meliorem, sicut eis videbitur, eligere, sive eadem Persona, sive diversa; & quod illi qui electi fuerint, possint libere consentire, & Prælaturis ad quas fuerint electi, earumque administrationibus se libere intromittere, juramentis præfatis nequaquam obstantibus; quodque quilibet Frater cujuslibet Domus, ad quam taliter fuerit electus, ipsis sic electis teneatur obedire ut veris Prælatis; ac quod quilibet Fratres Domorum prædictarum possint quoscumque ad Professionem recipere sine qualibet juramenti prædicti seu juramentorum præstatione.

De Vicariis & Visitatoribus. Cap. V.

ITem definimus, & confirmamus, quod nullus deputatus per Generale Capitulum ad visitandum quemlibet Conventum, cum aliquibus Sociis visitationem ipsam faciat sine Sociis ad hoc deputatis, si ipsi nuper requisiti adhærere voluerint: alias visitatio aliter facta non teneat, nec Conventus, ad quos pervenerint, teneantur ipsos recipere.

De separatione Fratrum & Sororum. Cap. VI.

ITem definimus, quod si contingat quod Sorores alicujus Domus habentis Fratres & Sorores simul velint a Fratribus separari, & hoc fuerit de beneplacito tam Sororum quam Fratrum, seu

 majoris

majoris partis; Dominus Magister cum Visitatoribus ejusdem eamdem separationem faciat, deputatis Sororibus, & earum cuilibet in vita sua alimentis competentibus secundum facultatem ejusdem Domus, intelligentes separationem prædictam taliter fieri, quod locus habitationis dictarum Sororum distet a loco Fratrum, a quibus fuerint separatæ, ad minus per brachia quinquaginta, & saltem una strata publica sit in medio.

De Proprietariis. Cap. VII.

ITem definimus, & ordinamus, quod Dominus Magister, quotiescumque eum contigerit visitare aliquem Conventum, teneatur facere specialem inquisitionem contra Proprietarios, & secundum qualitatem seu diversitatem modorum, per quos ipsæ proprietates ad ipsos pervenerint, cogat eosdem Proprietarios ipsis Conventibus suis restituere, vel eis concedat discrete, non expendendas per ipsos sine licentia Domini Magistri, vel eorum Præpositorum vel Prælatorum.

De residentia Præpositorum in propriis Conventibus. Cap. VIII.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet Præpositus teneatur de cætero de quibuslibet decem septimanis saltem tribus septimanis continuam residentiam facere in suo Conventu principali, ac ibidem correctionibus Fratrum, & Divinis Officiis solicite intendere. Qui autem dictam residentiam non fecerit, eo ipso sit ab Officio & Beneficio suspensus, nisi evidens utilitas vel magna necessitas affuerit, quæ per Dominum Magistrum approbetur, aliud requisierit. Continuam residentiam intelligentes, quotiescumque idem Præpositus in eadem Domo saltem cœnaverit, & per noctem dormierit diebus singulis dictarum trium hebdomadarum.

De

De conventione pecuniæ cum Conventibus. *Cap. IX.*

ITem ſtatuimus & ordinamus, quod nullus Præpoſitus vel Prælatus de cætero paciſcatur, vel conveniat cum ſuo Conventu de certa quantitate victualium, vel etiam pecuniæ pro veſtimentis ultra quantitatem librarum quindecim Imperialium, eidem per ſuum Conventum tribuendam vel dandam. Et ſi aliquis Præpoſitus vel Prælatus convenit vel paciſcitus fuit, talem conventionem vel pactum non ſervet, nec dictam quantitatem vel portionem recipiat, niſi forte talis Præpoſitus vel Prælatus propter laicalem potentiam vel aliam legitimam cauſam per Dominum Magiſtrum approbatam, in ſuo Conventu ſtare non audeat vel non poſſit. Qui autem contra fecerit eo ipſo vigore Conſtitutionis præſentis ſit a Præpoſitura vel Prælatura privatus.

De Feria ſecunda & tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ. *Cap. X.*

ITem ſtatuimus & ordinamus, quod ſi contigerit Dominum Magiſtrum vel quoslibet Viſitatores ſeu etiam proprium Præpoſitum vel Prælatum reperire aliquem ſuum Subditum comediſſe carnes vel quoſcumque alios cibos non Quadrageſimales ſecunda vel tertia Feria poſt Dominicam de Quinquageſima immediate ſequenti, illum talem repertum ſuſpendant ab actibus legitimis (1)

NONA

(1) Clerici olim Quadrageſimæ jejunium a feria ſecunda poſt Dominicam Quinquageſimæ incipiebant. Hinc Concilii Claromontani an. 1095. Canon (*Collect. Concil. edit. Colet. T. XII. pag. 915.*) *Quod nemo Laicorum a capite jejunii, nemo Clericorum a Quinquageſima uſque in Paſcha carnes comedat*. Regulares vero a Septuageſima olim illud incipiebant. V. Martene de Antiquis Eccl. Rit. T. III. pag. 119. Videtur tamen ſæculo XIV. Regularium hæc conſuetudo jam antiquari cœpiſſe, ut ex hac Humiliatorum lege conſtat.

NONA DISTINCTIO.

INfrascriptæ sunt Constitutiones factæ in Capitulo de Brayda anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, & confirmatæ in Capitulis de Rondenario & de Ripalta in quadragesimo tertio & quadragesimo quarto.

De Studio. Cap. I.

ITem definimus, quod citra Festum Sancti Lucæ proxime venientis Dominus Magister teneatur ordinare & exequi cum effectu, quod duodecim Fratres juvenes apti & habiles ad studium mittantur Bononiam ad studendum in Grammaticalibus & Logicalibus, ad communes expensas totius Communitatis Ordinis. Et quicumque Præpositus vel Prælatus voluerit aliquem de suis mittere, teneatur præstare florenos auri duodecim, sibi postea computandos in fodro sequenti. Qui duodecim Studentes eligantur per Dominum Magistrum & Præpositum de Rondenario & Prælatum Braydæ. Et quilibet prædictorum Studentium quoad percipienda indumenta & calceamenta, reputentur residentes in propriis Conventibus & præsentes.

De Missis novis. Cap. II.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod de cætero nullus Frater Ordinis præsumat celebrare vel cantare suam primam Missam novam extra Conventus & loca Ordinis; & quod in Conventibus, ubi celebrabitur, illa die nullus Sæcularis comedat: & si contingat contrarium fieri in aliquibus Conventibus, Præpositus vel Prælatus talium Conventuum sint suspensi ab administratione, & Præsbiteri celebrantes sint suspensi a celebratione Missarum usque ad biennium.

De

De numero Clericorum secundi Ordinis. Cap. III.

ITem cupientes in Nostro Ordine Divinum Cultum augeri, definimus, statuimus, & ordinamus, quod infrascriptæ Domus secundi Ordinis nostri numerum Clericorum unicuique Domorum earumdem hic determinatum & impositum recipere studeant & habere; videlicet Domus Brayde vigintiquinque, Domus Nova duos, Domus Sancti Spiritus quindecim, Domus de Glaxiate quindecim, Domus Sancti Calimeri decem, Domus de Marliano sex, Domus de Monteforti decem, Domus de Carugate quatuor, Domus Sancti Bartholomæi de Modoetia sex, Domus de Mediovico quatuor, Domus Sancti Michaelis octo, Domus de Cavenago quatuor, Domus de Zeno duos, Domus de Fornovo duos, Domus de Parma viginti, Domus Sancti Abundii duodecim, Domus Sancti Guillelmi sex, Domus parva duos, Domus Sancti Jacobi de Soncino quatuor, Domus de Mutina sex, Domus de Regio quatuor, Domus de Burgo Sancti Domnini quatuor, Domus de Umbriano duos, Domus de Rovigo duos, Domus de Zebedo duos, Domus de Florenzola quatuor, Domus de Argine de Placentia quinque, Domus Sancti Raymundi quatuor, Domus communis de Pergamo decem, Domus de Rasulo duos, Domus de Gambara de Brixia octo, Domus de Palazolo quatuor, Domus Sancti Philippi sex, Domus de Carate tres, Domus de la Glara decem, Domus Sancti Bartholomei de Verona quatuor, Domus Sancti Christophori de Flumexello quatuor, Domus de Paranica de Crema duos, Domus de Vico de Cumis quatuordecim. Dominus siquidem Magister quemlibet inducat Conventum ad habendum numerum Clericorum sibi præscriptum. Recipiendi autem Clerici sciant competenter legere & cantare, ita ut secundum Regulam ædificare valeant audientes. Et ad recipiendum tales quilibet Conventus usque ad numerum superius determinatum quam cito commode poterit, teneatur. Quod si

ex

ex ipsis quemquam contingat decedere, debeant recipere alium loco sui. Si qui autem Fratres pro recipiendis his Clericis, quum in Capitulo propositi fuerint, consentire noluerint, vel distulerint, dummodo tales alia Constitutio non prohibeat, eorum dissensu nequaquam obstante, Clericorum receptionem per alios Fratres faciendam vi Constitutionis hujus valere decernimus, & dissentientes voce ulterius Fratres recipiendi & Prælatum eligendi ex nunc pront ex tunc privatos esse pronuntiamus usquequo fuerint per Dominum Magistrum aut per Generale Capitulum restitui; volentes prædicta adimpleri per Prælatos præfatos in virtute præcepti, & omnibus modis quibus melius valere potest.

De calceamentis & caputiis. Cap. IV.

ITem statuimus, quod de cætero non liceat alicui Fratri Ordinis calceare seu portare subtulares non sufficienter unctos sonzia; & contrafacientes eo ipso sint privati voce Capituli: Admonentes etiam omnes Fratres Ordinis, quod in mensuris caputiorum & capparum, & qualitate pannorum tale adhibeant moderamen, quod in proximis Visitationibus faciendis Dominus Magister & Visitatores non habeant causam dictas cappas & pannos immutare, vel ab ipsis auferre,

DECIMA DISTINCTIO.

ISTæ Constitutiones infrascriptæ factæ sunt in Capitulo de Rondenario anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, confirmatæ in Capitulo de Ripalta & Brixia de anno quadragesimo quarto & quadragesimo quinto.

De previsione non facienda in pecunia. Cap. I.

ITem definimus, & approbamus, quod nulla dispensatio vel provisio vestimentorum vel calceamentorum fiat in denariis per Conventum Ordinis; & Præpositus vel Prelatus ac Canevarius, in

in quorum Conventibus contrarium factum fuerit per ipforum fuafionem vel culpam, fint ab eorum officiis fufpenfi, donec Domino Magiftro videbitur expedire; & quod Canevarius de Domo propria expellatur, & inhabilis fit ad quodlibet Beneficium de cætero obtinendum.

De Laicis. Cap. II.

ITem ftatuimus, & ordinamus, & definimus, quod de cætero nullus Frater Laicus recipiatur in aliquo Conventu primi nec fecundi Ordinis, quoufque in ipfis Conventibus completus fuerit numerus Clericorum eifdem taxatus, pronuntiantes ex nunc irritam & inanem quamlibet receptionem contra præfentem Conftitutionem de cætero fiendam, ita tamen quod etiam completo numero Clericorum prædicto, non liceat etiam Laicum aliquem recipere fine Domini Magiftri licentia fpeciali.

De non recipiendis Fratribus, qui iverunt ad regendas Ecclefias Sæculares. Cap. III.

ITem ftatuimus, & ordinamus, & definimus, quod de cætero nullus Frater Ordinis, qui iverit vel ibit quolibet modo ad regendas Ecclefias Sæculares, recipiatur in aliquo Conventu Ordinis ad comedendum vel bibendum, vel etiam dormiendum; & Præpofiti vel Prælati feu eorum Locumtenentes contrarium facientes ipfo facto fint ab eorum Officiis ufque ad voluntatem Domini Magiftri fufpenfi: Et quod nullus Præpofitus, Prælatus vel Subditus Ordinis de cætero comedat, bibat, nec dormiat in Domibus feu habitationibus dictorum Fratrum Ecclefias Sæculares regentium. Contrarium vero facientes fint privati voce Capituli ufque ad voluntatem Domini Magiftri. Eamdem etiam pœnam incurrant qui de cætero iverint ad Domos prædictorum Ecclefias regentium fine fpeciali licentia fui Præpofiti vel Prælati.

De Sententiis latis contra non solventes taleas. Cap. IV.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de cætero Dominus Magister non revocet vel suspendat, vel quoquomodo impediat effectum sententiarum latarum vel ferendarum vel factarum vel fiendarum, & Processuum factorum contra non solventes portiones eisdem contingentes de taleis & fodris Ordinis, sine voluntate & consensu debentium recipere dictas taleas vel fodra, vel eorum partem.

De receptione Sororum. Cap. V.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de cætero unusquisque Præpositus vel Prælatus, qui contra Constitutionem Bonæ Memoriæ Domini Papæ Joannis Vigesimi secundi de cætero receperit aliquam Mulierem in Sororem suorum Conventuum vel Ordinis, eo ipso præsentis Constitutionis vigore sit a Præpositura vel Prælatura privatus.

De non licentiando Fratres, qui transeunt ad Curam Animarum. Cap. VI.

ITem statuimus, & ordinamus, & definimus, quod nullus Præpositus vel Prælatus Ordinis præsumat dare licentiam, nec det seu dare possit alicui Fratri nostri Ordinis, suscipiendi vel acceptandi aliquam Ecclesiam seu Beneficium Sæculare: Et si forte per quempiam Præpositum seu Prælatum aliqua talis licentia alicui Fratri concessa fuerit, illam licentiam ex nunc prout ex tunc decernimus & volumus esse nullam, cassam, irritam & inanem; & vi Constitutionis præsentis ipsam cassamus, irritamus, & annullamus, volentes etiam quod Dominus Magister nulli Fratri bono & utili talem licentiam dare dignetur.

De

De impetratione Præpositurarum vel Prælaturarum. Cap. VII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus Frater Ordinis præſumat petere, requirere vel impetrare ab aliqua Perſona, quæ non ſit de Ordine, aliquam Præpoſituram vel Prælaturam, ad tempus vel ad vitam; nec etiam Præpoſiti vel Prælati præſumant eodem modo impetrare in ſuis Præpoſituris vel Prælaturis ad vitam confirmari, ſine ſpeciali licentia Domini Magiſtri. Contrarium vero facientes ſint actibus legitimis privati.

De litteris teſtimonialibus. Cap. VIII.

ITem ſtatuimus, & definimus, quod de cætero nullus Frater Ordinis recipiatur in aliquo Conventu Ordinis ad comedendum, bibendum, dormiendum, & hoſpitandum quoquo modo, ſine litteris teſtimonialibus ſuorum Præpoſitorum vel Prælatorum: & Præpoſitus vel Prælatus ſeu Locumtenens Præpoſiti vel Prælati aliter recipiens Fratrem aliquem ipſo facto ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione Præpoſituræ vel Prælaturæ: Intelligentes, dictas litteras teſtimoniales Fratres debere habere, quando exeunt de Diœceſi, in qua eſt ſuus Conventus proprius; Volentes quod unuſquiſque Præpoſitus vel Prælatus, ad cujus notitiam pervenerit, Fratrem aliquem eſſe in ſua Civitate vel Diœceſi, qui ſe ſibi non præſentaverit cum dictis litteris, teneatur eum capere, & captum tenere, quouſque eum ſignificaverit Domino Magiſtro, vel Præpoſito vel Prælato dicti Fratris ſic capti: Intelligentes dictam capturam fieri debere per majorem Præpoſitum vel Prælatum illius Civitatis, in qua ſunt plures Præpoſiti vel Prælati. Et Frater ſic vadens ſit inhabilis ad omnes actus legitimos.

De infamibus per decennium. Cap. IX.

ITem statuimus, & definimus, quod de cætero Dominus Magister & Definitores Capituli Generalis conservando famam & honorem Ordinis, & ad timorem delinquentium, nullum Fratrem Ordinis convictum vel confessum de lapsu carnis, homicidio, vel notabili furto, vel qui apostataverit per duos menses, restituant ad famam vel actus legitimos infra decem annos a die principii suæ punitionis. Et hanc Constitutionem promittit & promisit Dominus Magister in præsenti Capitulo in fide sua perpetuo observare.

Confirmatio transitus Fratris Tiberii. Cap. X.

ITem ratificamus, approbamus, & confirmamus transitum per Fratrem Tiberium de Parma de professione Domus Parmensis ad professionem factam in Conventu de Galgari de Pergamo (1).

De Palatio Domus Novæ Mediolani. Cap. XI.

ITem definimus, quod Palatium Domus Novæ Mediolanensis, in quo solebat habitare Dominus Magister, pensionetur & locetur alicui volenti eum conducere pretio competenti, quod pretium perveniat ad Communitatem Ordinis usque ad summam librarum quingentarum tertiolorum, in compensatione expensarum factarum per dictam Communitatem in Palatio prædicto. Et supradictis denariis habitis & receptis per dictam Communitatem, dictum Palatium libere & expedite transeat & remaneat in dominium & proprietatem dictæ Domus Novæ. Et ex nunc dictum Palatium dimittimus & relaxamus Domui & Conventui prædicto, postquam recepta fuerit dicta quantitas librarum quingentarum a Communitate Ordinis.

De

(1) Idem ille est B. Tiberius Parmensis, de quo egimus Vol. I. pag. 223.

De Domo de Uboldo. Cap. XII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod Prælatus & Conventus Sancti Spiritus habeant Domum de Uboldo (2) Mediolani pro libris octingentis, ſi voluerint eam. Et pecunia inde accepta deponatur penes Dominum Magiſtrum, ipſo Domino Magiſtro dante ſufficientia pignora Prælato & Conventui Braydæ quouſque dictam pecuniam reſtituerit dicto Prælato & Conventui: penes quem Dominum Prælatum & Conventum remaneat quouſque convertetur in conſtructionem alicujus Conventus conſtruendi in aliqua Civitate ubi non ſit Conventus. Et ſi dictus Prælatus Sancti Spiritus noluerit eam pro dicto pretio, Dominus Magiſter, & Prælatus Braydæ, & Præpoſitus Portæ Vercellinæ habeant poteſtatem dandi & vendendi dictam Domum dictis Prælato & Fratribus Sancti Spiritus, vel aliis de Ordine pro majori pretio quod poterunt habere.

De Sororibus Sanctæ Mariæ Novæ de Mantua. Cap. XIII.

ITem definimus quod Fratres & Sorores Sanctæ Mariæ Novæ de Mantua recedant a Domo Sancti Thomæ, & redeant ad dictum Conventum ſuum, cum omnibus poſſeſſionibus & bonis Domus olim dictæ Sanctæ Mariæ Novæ, non obſtante aliqua Unione hactenus facta.

De Domo de Cuvio. Cap. XIV.

ITem definimus, quod Domus de Cuvio uniatur cum Domo majori de Variſio, ipſis dantibus Ordini valorem tertiæ partis valoris dictæ Domus de Cuvio Ordini pro conſtructione alicujus novi Conventus. Et ſi dicta Domus de Variſio noluerit, uniatur dicta Domus cum Domo de Canobio, modo prædicto.

De

(2) De hac aliiſque, quæ poſtea memorantur, Humiliatorum domibus, egimus Vol. I. & II.

De Domo de Vigevano. Cap. XV.

ITem definimus, quod Domus parva de Vigevano Portæ Novæ Mediolanensis uniatur Conventui de Circulo, tertia parte valoris dictæ Domus perveniente ad Communitatem Ordinis pro creatione alicujus novi Conventus. Et si dicta Domus de Circulo nolet, uniatur cum aliquo alio Conventu, modo quo supra.

Confirmatio donationis factæ Præposito Sancti Martini de Sancto Miniate. Cap. XVI.

ITem confirmamus, ratificamus, & approbamus donationem olim factam per Præpositum, Fratres, & Capitulum Domus Omnium Sanctorum de Florentia, Fratri Redulfo de Guignis dicti Conventus de Florentia stipulante & recipiente pro futuro Præposito & Conventu Fratrum Sancti Martini de Sancto Miniate *del Tedesco*.

De juramento Gestoribus negotiorum & Officialibus præstando. Cap. XVII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod cum sit consonum rationi, ut negotiorum Gestores & Officiales de gerendo fideliter & utiliter negotia, & Officia exercendo illis commissa, juramenti vinculo adstringantur, Refectorarii, Canevarii, Thesaurarii, Grangiarii, cæterique Officiales Domorum Ordinis nostri, quum ad Officia hujusmodi assumuntur, juramentum præstare teneantur in manibus suorum Præpositorum vel Prælatorum, seu in manibus antiquioris Fratris illius Domus, quod in commissis sibi Officiis, administrationibus vel Grangiis fideliter se habebunt, & de receptis & expensis fidele computum reddent, & si quid eorum rationibus quoquomodo restaverit, eorum Conventibus vel Thesaurariis assignabunt. Et Præpositi vel Prælati teneantur facere præstare juramentum prædictum quemlibet suum Officialem supra-

ſuprafcriptum. Et Præpoſiti vel Prælati contrafacientes puniantur ad voluntatem Domini Magiſtri. Mandantes quatenus infra quindecim proximos dies, poſtquam Præpoſiti vel Prælati ad proprios Conventus pervenerint, effectum præſentis Conſtitutionis in ſuos Officiales exerceant: Volentes quod Dominus Magiſter & Viſitatores faciant ſpecialem inquiſitionem ſi prædicta fuerint adimpleta.

De infamibus, & privatis ab actibus legitimis. Cap. XVIII.

ITem ſtatuimus, definimus, & ordinamus, quod omnes infames, & qui ſuis culpis ab actibus legitimis ſunt privati, facto Capitulo, lecta ſeu expoſita Regula, nullam moram contrahant in Capitulo, ſed ſtatim ſicut Novitii & Converſi de Capitulo exeant, tanquam qui ſe de factis Domus nullatenus intromittere habent, nec in aliquibus in ipſo Capitulo conferendis aſſentire vel diſſentire: nec eorum nomina ſcribantur in Chartis & Inſtrumentis Domus uſque ad tempus ſuæ purgationis, ſecundum formam Conſtitutionum, etiamſi ab aliis de Conventu libere concederetur.

UNDECIMA DISTINCTIO.

INfraſcriptæ Conſtitutiones factæ ſunt in Capitulo de Ripalta de Modoetia anno Domini milleſimo treceenteſimo quadrageſimo quarto, & approbatæ in Brixia in Domo Sancti Lucæ.

Quod nullus Conventus poſſit eligere Prælatum niſi Sacerdotem. Cap. I.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus Conventus ſecundi Ordinis, in quo ſint tres Sacerdotes vel ſupra, poſſit eligere aliquem in Prælatum Conventus ejuſdem in Sacerdotio non conſtitutum, decernentes irritum & inane quicquid in contrarium præſumptum fuerit.

De

De recipiendo Sacros Ordines. Cap. II.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus Frater Ordinis præsumat recipere Sacros Ordines, etiamsi alias fuerit licentiatus a suo Præposito vel Prælato, nisi fuerit examinatus & approbatus per Vicarium illius Vicariæ, in qua est suus Conventus. Contrafacientes sint suspensi ab executione dictorum Ordinum, usque ad voluntatem Domini Magistri; & Præpositi vel Prælati eos licentiantes contra tenorem hujus Constitutionis sint suspensi ab Officio Præpositturæ vel Prælaturæ. Volentes etiam eandem pœnam incurrere, qui Subdiaconatum receperint ante inchoatum decimum octavum annum, & Diaconatum ante vigesimum, & Sacerdotium ante inchoatum vigesimum quintum annum, & Præpositos vel Prælatos mittentes eosdem.

De provisione Fratrum eliminatorum. Cap. III.

ITem definimus, quod non obstante Constitutione antiqua, posita sub Rubrica de expensis communibus, quæ pro Ordine fient, de cætero Præpositi vel Prælati & Conventus, ad quos transmittentur Fratres Ordinis pro eorum culpis emendandis, teneantur eisdem Fratribus providere de calceamentis & mutandis: & quod fiant expensæ in cibo, & potu famulis Præpositorum & Prælatorum venientium ad Capitulum Generale, & Equis provideatur de fæno.

De constituendis Carceribus. Cap. IV.

ITem definimus, quod infra sex menses quilibet Vicarius in suo Vicariatu habeat saltem in uno loco, & pluribus, si commode fieri poterit, carceres. Et de hoc teneatur Dominus Magister inquisitionem facere, & cogere quod hoc executioni mandetur. Et si carceratur aliquis de aliquo Conventu paupere, sit ad communes expensas illius Vicariatus vel Ordinis.

DUO-

DUODECIMA DISTINCTIO.

INfrascriptæ sunt Constitutiones factæ in Domo Sanctæ Marthæ de Janua per Dominum Magistrum Christophorum Generalem in Capitulo anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto (1).

De Festo Conceptionis. Cap. I.

IN primis statuimus, & ordinamus, quod Festum Conceptionis Virginis Gloriosæ celebretur deinceps in Ordine nostro octava die Decembris, & fiat Festum in omnibus sicut in Nativitate ejusdem, excepto quod ubi dicitur *Nativitas*, dicatur *Conceptio* (2).

De Salve Regina. Cap. II.

ITem statuimus, & ordinamus, quod in fine omnium Horarum dicatur Salve Regina, cum Versu *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, & Oratione: *Protege Populum tuum subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis Patrocinio confidentes ab omni hoste nos reddas esse securos.*

(1) In Cod. Vatic. apud Blancol. (*Chiese di Verona Lib. VI. pag.* 202.) hæc adduntur: *In Capitulo generali Senensi reprobatæ fuerunt tamquam tirannicæ, & editæ in servitium dumtaxat suæ tirannidis præsidentiæ: quibusdam tamen paucis reservatis, de quibusdam* (forte de quibus) *in ipsis Constitutionibus insertis fit mentio.* Quas porro vices Christophorus hic Generalis Magister passus fuerit. V. Vol. I. pag. 125.

(2) Antequam Sixtus IV. Conceptionis Deiparæ festum indiceret, plurimis in Ecclesiis illud celebrabatur. Ut cæteros mittam, V. eruditissimam hac de re Cl. P. Trombellii Dissertationem (*Maria SS. Vita ac Gesta* T. V. pag. 390. &c.), ubi quidquid huc pertinet, diligentissime, ut solet, collegit atque illustravit.

De Capitulo Generali. Cap. III.

ITem ſtatuimus, definimus, & ordinamus, quod ex cauſis legitimis & per longa tempora occurſis guerrarum, mortalitatum & viarum diſpendiis, & parcere volentes expenſis, de cætero non fiat Generale Capitulum niſi de triennio in triennium, incipiendo a die Dominica ſecunda poſt Paſcha Reſurrectionis Domini anni proxime futuri currentis milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi quinti, ſalvo quod ſi ex aliquibus cauſis utilibus, & neceſſariis vel urgentibus, oporteat dictum Capitulum celebrare in aliquibus annis intermediis ſemel vel plus, poſſit Dominus Magiſter facere ſicut ei placuerit, & ubi videbitur; aut ſi melius & utilius fuerit viſum Domino Magiſtro, convocare poſſit aliquos Præpoſitos de Mediolano & de extra Mediolanum, quos voluerit, & commodius habere potuerit, & cum ipſis facere ordinationes, reformationes, punitiones, & Statuta, & omnia alia facere, quæ poſſet Capitulum Generale, neceſſaria; & quidquid fecerit, habeat & obtineat perpetuam roboris firmitatem.

De celebratione Capituli Generalis. Cap. IV.

ITem ſtatuimus, definimus, & ordinamus, quod anno currente milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo Dominica ſecunda poſt Paſcha Reſurrectionis Domini, Capitulum Generale debeat celebrari in Domo Sancti Spiritus Mediolani Ordinis noſtri, vel ſi aliquo juſto impedimento urgente in dicta Domo non poſſet commode celebrari, Dominus Magiſter poſſit illud Capitulum in Domo altera celebrare & convocare, prout diſcretioni ſuæ videbitur convenire. Quo caſu adveniente, Dominus Magiſter notificabit de loco Capituli. Et ipſo die Dominico dictus Dominus Magiſter ſermocinabitur in dicto Capitulo, vel alius, cui impoſitum fuerit per ipſum Dominum Magiſtrum. Et ex nunc præfatus Dominus Magiſter citat omnes Præpoſitos, Prælatos, & Priores,

qui

qui de jure dicto Capitulo debent interesse, quatenus ad dictum Capitulum prædicto die debeant convenire: Alias ad ipsius celebrationem procederet, eorum, vel alicujus eorum absentia non obstante, & ulterius non citatis.

De prorogatione Capituli. Cap. V.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod Dominus Magister possit, si sibi visum fuerit, ex aliqua rationabili causa, vel evidenti utilitate, illud Generale Capitulum prorogare usque ad suam voluntatem.

De termino solvendi fodrum Ordinis. Cap. VI.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod quælibet Domus seu Conventus Ordinis nostri teneatur & debeat de cætero in quolibet Festo Omnium Sanctorum integraliter satisfecisse Domino Magistro, vel deputatis ab eo, secundum quantitatem hactenus longo tempore prætaxatam. Quæ quidem taxatio est ad computum librarum septuaginta tertiolorum pro libris, secundum Ordinis extimum, nisi aliud innovetur. Si autem Præpositi vel Prælati, Ministri & alii quicumque Officiales Domorum pro suis Domibus plenarie non satisfecerint, eo ipso vigore Constitutionis hujusmodi sententiam Excommunicationis incurrant, ac eorum Ecclesiæ sint suppositæ Ecclesiastico Interdicto; a quibus sententiis absolvi non debeant nisi plenarie satisfecerint. Et de hoc fiant Litteræ generales atque particulares a Domino Magistro, aggravantes Processus, in quantum de jure poterit, & eidem videbitur, contra quemlibet in contrarium venientem.

Contra illos, qui non solverint fodrum Ordinis tempore præterito. Cap. VII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod Dominus Magister exigat sive exigi faciat de anno præsenti millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, & de omnibus annis retro præteritis ab iis omnibus qui non solverint fodrum Ordinis, ad computum supradictum de libris septuaginta tertiolorum pro libra; & quod Dominus Magister procedat contra illos qui non solverint, in quantum potest, & prout eidem videbitur.

De Laicis. Cap. VIII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod de cætero nullus Frater laicus, qui ad Ordinem recipietur in Domibus primi Ordinis, habeat vocem in Capitulo ad electionem Præpositi, nec ad aliquem actum legitimum, plusquam habeant Conversi Ordinis nostri. Et si contingat eos, qui in præsens sunt vel aliquem eorum privari aliquibus actibus legitimis, suis demeritis exigentibus, quod nunquam restituantur nec possint restitui ad dictam vocem, vel ad aliquem actum legitimum ut supra. Et qui recipientur, deferant Cappam sive Capironum album, more Conversorum incisum ab utraque parte. Sed nec qui pro Clericis recipientur, nec recepti in dictis Domibus, habeant vocem ad electionem Præpositi nisi fuerint in Sacris.

De Œconomis vel Procuratoribus. Cap. IX.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod in omnibus Domibus Ordinis nostri, in quibus omnes Fratres & Sorores defecerunt, tam propter mortalitates quam propter guerras, donec sufficientibus Fratribus vel Sororibus reparentur, constituatur Œconomus vel Procurator per Dominum Magistrum, qui de administratis per eum reddat rationem dicto Domino Magistro, vel depu-

deputatis ab eo. Et reditus dictarum Domorum in utilitatem Ordinis disponantur secundum voluntatem Domini Magistri.

De Unionibus Domorum Ordinis. Cap. X.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes Uniones factæ in Domibus Ordinis nostri a tempore inhibitionis Domini Urbani Papæ Quinti, & contra inhibitionem prædictam, quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Intenta semper &c.* quatenus de facto processerunt, de facto rescindantur & annullentur, & pro nullis habeantur, & restituantur Domus sic unitæ cum omnibus suis Bonis in pristinum statum, & eisdem provideat, & de ipsis disponat dictus Dominus Magister, prout sibi melius videbitur convenire. Et si aliqua Domus Ordinis pro prædictis Unionibus noviter factis quicquam solvissent quondam Domino Magistro Prædecessori nostro, dentur & restituantur dictis Domibus, si & in quantum dicto Domino Magistro cum consilio aliquorum Discretorum Ordinis, videbitur, & non aliter. Et contra tenentes dictas Domos sic de facto unitas, & earum bona, procedat Dominus Magister per Censuram Ecclesiasticam, & alia Juris remedia, prout sibi videbitur.

De non acceptando quæstiones Laicorum. Cap. XI.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod nullus Frater Ordinis nostri, cujuscumque status & conditionis existat, determinet, vel pro determinando & definiendo acceptet aliquas quæstiones Laicorum sive Sæcularium, sine expressa licentia Domini Magistri, nisi fuerit Subdelegatus a Domino Nostro Papa vel ab ejus Legato de latere vel Delegato. Et qui contra fecerit, ipso facto sit excommunicatus, & ex nunc prout ex tunc ipsum excommunicatum esse pronuntiamus. Volumus tamen, quod possit dare consilium ad salutem animarum temporibus & locis debitis.

De

De prævaricatoribus & destructoribus Ordinis. Cap. XII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod si aliquis Præpositus Ordinis nostri prævaricator fuerit Ordinis vel Gregis sibi commissi, vel destructor & vitiosus, & sic inventus per Dominum Magistrum aut Visitatores, aut alios Commissarios habentes ad hoc a dicto Domino Magistro mandatum speciale, teneatur & possit statim dictus Dominus Magister aut dicti Visitatores & Commissarii ipsum prævaricatorem & destructorem privare, & eum a Præpositura amovere, & alias punire, non obstante aliqua Constitutione quoquo modo in contrarium loquente.

De Resignatione. Cap. XIII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod addatur Constitutioni *de Resignatione*, quod ultra pœnas in ipsa Constitutione contentas, quilibet resignans suæ Præpositruræ vel Prælaturæ, vel acceptans electionem, sine licentia Domini Magistri, non possit amplius eligi ad aliquam Præposituram usque ad decennium, nec eligere, exceptis tamen illis qui habent resignare per juramentum in fine biennii.

De Approbatione Constitutionum. Cap. XIV.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod omnes Constitutiones factæ in præsenti Capitulo, & quæ fient in futurum in Capitulis Generalibus, habeant vim & robur firmitatis & Constitutionis ac si essent approbatæ per tria Capitula Generalia: & quod Dominus Magister possit dispensare super quacumque Constitutione Ordinis nostri, utilitate & necessitate pensatis, non obstante quacumque Constitutione in contrarium loquente.

De

De procurantibus habere Magisterium Ordinis. Cap. XV.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod quilibet nostri Ordinis, qui procuraverit habere Magisterium per se vel per alium, & qui pro dicta procuratione quidquam expenderit, nihil de prædictis expensis recuperet ab Ordine, & quicumque ad dictam expensarum recuperationem habendam ab Ordine illi consenserit, aut auxilium vel favorem præstiterit, eoipso sit excommunicatus, exceptis dumtaxat illis, qui fuerint in Magistrum confirmati, aut a majori parte Ordinis supplicati aut postulati.

De Professione. Cap. XVI.

Item statuimus, definimus, & ordinamus quod in Constitutionibus veteribus Ordinis in Capitulo de Professione, ubi loquitur: *Ego talis promitto obedientiam*, addatur: *paupertatem & castitatem*.

De Vicariis. Cap. XVII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod Dominus Magister non possit constituere Vicarium in Ordine nisi fuerit in Officio Præpositurae confirmatus.

De receptione Sororum. Cap. XVIII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, atque pronuntiamus, quod Præpositus quicumque, qui receperit aliquam Mulierem in Sororem suorum Conventuum, contra inhibitionem & Constitutionem Felicis Memoriæ Domini Papæ Joannis Vigesimi secundi, & contra Constitutionem Ordinis nostri super hoc editam, de facto, sicut habetur in illa Constitutione, sit privatus. Et ad timorem aliquorum contra Apostolica Scripta contraire nitentium, & ad majorem fortificationem dictæ Constitutionis dicti Ordinis, statuimus & definimus ultra pœnam in dicta

dicta Constitutione taxatam, quod quicumque de cætero contrafecerit ipso facto sit excommunicatus, & ex nunc prout ex nunc, ipsum excommunicatum esse pronuntiamus. Hoc idem intelligimus etiam de Ministra, ubi simul sunt Fratres & Sorores.

De Additione ad Constitutionem de gravissima culpa. Cap. XIX.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, ad confirmationem Constitutionis *de gravissima culpa & scandalo vitando*, & ad evitanda multa scandala, quæ oriri possent, quod qui contra easdem fecerit, & specialiter qui contra honorem Domini Magistri aut Ordinis fecerit, & quicumque contra Dominum Magistrum & Ordinem auxilium, consilium, vel favorem petierit extra Ordinem, in præjudicium dictorum Magistri & Ordinis, ipso facto, vigore hujus Constitutionis sit excommunicatus.

De Affictationibus possessionum. Cap. XX.

ITem attendentes, quod ad aures nostras pervenit a quampluribus fide dignis fideli relatione & notorie, quod nonnulli ex Præpositis, Prioribus, Prælatis, Officialibus, Ministris, Fratribus, & Sororibus, Deum non verentes, bona & possessiones & jura Domorum nostri Ordinis antedicti Agnatis, seu alias amicis suis, & quibus placet, volendo eos ditare de bonis Pauperum Christi & Ordinis, & alias ex turpi & occulto lucro, pro duplo seu alias multo minori pretio quam valeant & ab aliis possit inveniri, affictant seu locant vel impignorant etiam ad longum tempus, in animarum suarum periculum non modicum, & dicti Ordinis nostri præjudicium & jacturam; statuimus, definimus, & ordinamus, quod nulla Persona Ordinis nostri, nec etiam Conventus cujuscumque conditionis existat, audeat vel præsumat, nec etiam possit affictare seu locare aut pignori tradere, vel alio quovis modo obligare, hospitia, vineas, terras, prata, nemora, molendina, seu alias possessiones quascumque ad Domos nostri Ordinis antedicti

tedicti quomodocumque spectantia, quæ communi æstimatione ascendant seu ascendere possint ultra valorem viginti florenorum auri annuatim, absque Domini Magistri prædicti licentia vel eorum quibus fuerit per prædictum Dominum Magistrum specialiter commissum, sed nec auxilium, consilium, aut favorem tribuere in prædictis. Qui vero contra fecerit, eo ipso sit excommunicatus. Et si Præpositus vel Prælatus aut Prior fuerit, ipso facto a Præpositura sive Prælaturæ vel Prioratus Officio, & Subditus ab omnibus actibus legitimis sint privati; Et contractus in contrarium factus non teneat nec valeat; & ex nunc quidquid contra factum fuerit, cassamus & totaliter irritamus. Et de hoc fiant Litteræ generales, aggravantes Processus a Domino Magistro, in quantum sibi videbitur, & de jure poterit.

De quadam additione facta ad Constitutionem de scandalo vitando. Cap. XXI.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod Constitutioni *de scandalo vitando* post illud verbum *fecerit contra*, addatur, *& ipso jure sit excommunicatus: Et ex nunc prout ex tunc in quemlibet talem contemnentem Sententiam excommunicationis proferimus in his scriptis.*

De cassatione cujusdam juramenti. Cap. XXII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod omnes Fratres cujuscumque conditionis Ordinis nostri, qui juraverunt tempore Fratris Tiberii olim Prædecessoris nostri, & de ejus consensu & voluntate aut præcepto, non obedire eorum Præpositis ultra biennium, eis nullatenus obedire audeant, vel præsumant ultra dictum biennium. Contrafacientes vero ex nunc prout ex tunc, perjuros & privatos ab omni actu legitimo & dignitate.

De correctione Constitutionum prædictarum. Cap. XXIII.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod omnes suprascriptæ Constitutiones corrigantur, & emendentur, & reducantur in formam publicam, ac etiam in eisdem augeatur & diminuatur secundum voluntatem dicti Domini Magistri, ad consilium unius vel plurium Sapientum.

TERTIADECIMA DISTINCTIO.

Constitutiones factæ in Capitulo Senensi Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto. Factæ sunt autem coram Præsidentibus Apostolicis, & in eodem Capitulo electus est Magister Generalis.

INfrascriptæ Constitutiones sunt factæ in Capitulo Senensi, & approbatæ per Beatissimum Dominum Eugenium Papam, existentibus suis Præsidentibus quorum nomina infra descripta sunt. In quo quidem Capitulo electus fuit per omnes Præpositos & Prælatos nemine discrepante eorum qui eligere voluerunt, Frater Stephanus de Arsago in Generalem Magistrum.

Præsidentium Apostolicorum ab Eugenio Papa Quarto electorum Litteræ ad Fratres Ordinis Humiliatorum. Cap. I.

Thomas, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Traguriensis (1), & Joannes eadem gratia Abbas Sanctæ Mariæ de Florentia, Universis, & singulis Præpositis, Prælatis, Fratribus,

(1) Thomas Thomasinus seu Burattus Venetus, Ord. Præd. Traguriensis primo, tum 4. Id. Oct. 1435. Maceratensis ac Recinetensis Episc. jussus; deinde an. 1440. ad Feltrensem & Bellunensem sedem translatus. V. Ughell. *Ital. Sacr. In Episc. Reciner. & Feltrens.*

bus, & Sororibus Ordinis Humiliatorum Salutem & Sacræ Religionis augmentum. Notum facimus Vobis per præsentes, quod Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Eugenius Divina Providentia Papa Quartus per suas Apostolicas Litteras constituit nos Præsidentes Capitulo Generali dicti Ordinis, celebrando in hac Civitate Senarum in loco Sancti Thomæ dicti Ordinis; Nobis mandans & injungens, ut personaliter Nos ad dictum Capitulum transferremus & præsideremus eidem. Dictarum autem Litterarum Apostolicarum tenor sequitur, & est talis:

Eugenius Episcopus &c. Nos igitur volentes, ut tenemur, mandatis Apostolicis obedire, & exequi exercitium (*legendum videtur* Ministerium) nobis injunctum, ad præsens Capitulum venimus, & præsentialiter residemus. In ipso autem Capitulo intersunt infrascripti Præpositi; & de consensu & beneplacito eorum, in qualibet Ordinatione inferius annotato, Ordinationes facimus infrascriptas.

Præpositorum in hoc Capitulo Congregatorum nomina.
Cap. II.

PRæpositorum autem nomina sunt hæc, videlicet:
Frater Dominicus Præpositus de Rondenario de Cumis.
Frater Joannes Præpositus de Vicoboldono, juxta Capitulum.
Frater Simon Præpositus de Brayda Mediolani.
Frater Stephanus Præpositus de Gambara Brixiensi.
Frater Nicolinus Præpositus de Mirasole juxta Mediolanum.
Frater Christophorus Præpositus Sancti Spiritus de Mediolano.
Frater Philippus de Crivellis Præpositus de la Vinea de Laude.
Frater Philippus Præpositus Sanctæ Mariæ Matris Domini in Mediolano.
Frater Bronorius Præpositus Sancti Lucæ de Brixia.
Frater Tonolus Præpositus Domus de Galgari in Pergamo.
Frater Balzarinus Præpositus Domus de Glassiate in Mediolano.

Frater Antonius Præpositus Domus Communis de Pergamo.
Frater Albertus Præpositus Domus de la Glara Veronæ.
Frater Stephanus Præpositus Domus de Vico Cumarum.
Frater Jacobinus Præpositus Domus de Marliano Mediolani.
Frater Andreas Præpositus Domus Omnium Sanctorum Florentiæ.
Frater Joannes Præpositus Domus Sancti Christophori de Vercellis.
Frater Leonardus Præpositus Domus Sanctæ Marthæ de Janua.
Frater Christophorus Præpositus Domus de Carugate Mediolani.
Frater Bartholinus Præpositus Domus Sanctorum Philippi & Jacobi Brixiæ.
Frater Vincentius Præpositus Domus de Monteforti Mediolani.
Frater Alexius Præpositus Domus de Baldaria.
Frater Donatus Præpositus Domus Sancti Bartholomæi de Pergamo.
Frater Dodus Præpositus Domus de Mutina.
Frater Jacobus Præpositus Domus de Biazzano Pergami.
Frater Martinus Præpositus Domus Sanctorum Simonis & Judæ de Novaria.
Frater Francottus Præpositus Domus Sancti Martini de Vercellis.
Frater Laurentius Præpositus Domus de Venetiis.
Frater Antonius Præpositus Domus de Ripalta de Modoetia.
Frater Maffiolus Præpositus Domus Sancti Michaelis de Modoetia.
Frater Girardus Præpositus Domus de Mediovico Modoetiæ.
Frater Jacobus Petrus Præpositus Domus de Cavenago Modoetiæ.
Frater Jacobus Præpositus Domus de Carate.
Frater Jacobinus Præpositus Domus de Applano.
Frater Galdinus Præpositus Domus de Locarno.
Frater Francischinus Præpositus Domus Sancti Christophori de Laude.
Frater Antonius Præpositus Domus Sancti Spiritus de Placentia.
Frater Petrus Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Burgo Sancti Domnini.

Frater

Frater Georgius Præpositus Domus, vel loco Præpositi, de Parma.
Frater Andreas Præpositus Domus Sancti Abundii de Cremona.
Frater Ambrosius Præpositus Domus Sancti Jacobi de Cremona.
Frater Gabriel Præpositus Domus de Vigalono Papiæ.
Frater Christophorus Præpositus Domus Apostolorum Jacobi & Philippi de Crema.
Frater Optavianus Præpositus Domus Sancti Bernardi de Faventia.
Frater Petrus Præpositus Domus Sancti Bernardi de Rhegio.
Frater Benedictus Præpositus Domus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pistorio.
Frater Sancto Præpositus Sancti Torpetis de Pisis.
Frater Joannes Præpositus Domus Sancti Francisci de Padua.
Frater Joannes Præpositus Sancti Thomæ de Senis.
Frater Philippus Præpositus Domus Sancti Bartholomæi de Rudigio.
Frater Joannes Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Civulis.
Frater Benedictus Præpositus Sancti Martini de Sancto Miniate.
Frater Benedictus Præpositus Domus Sancti Petri de Caravagio.
Frater Joannes Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Fornovo de Caravagio.
Frater Antonius Præpositus Domus Sancti Martini de Crema.
Frater Faciottus Præpositus Domus Sancti Laurentii de Pinarolo.
Frater Joannes Præpositus Domus de Domasio.

Breve Apostolicum Eugenii Papæ Quarti super hoc ipso Capitulo Generali ad ejusdem Præsides ab eo deputatos.
Cap. III.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Thomæ Episcopo Tragurienſi, & Dilecto Filio Joanni Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ Florentinensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. In Supremæ Dignitatis Specula licet immeriti, disponente Domino constituti, quamvis omnium Religiosorum Ordinum generalem curam gerere teneamur, de illis tamen

tamen propensius cogitare debemus, quibus major provisionis necessitas dignoscitur imminere; ut ipsi nostræ solicitudinis studio a quibuslibet sublevati dispendiis ad statum prosperum reducantur, & votivis dante Domino, jugiter proficiant incrementis. Dudum siquidem per Nos accepto, quod Ordo Humiliatorum Generali Magistro careret, & ex defectu non celebrati in eo a longis temporibus Generalis Capituli, prout antiquitus consueverat celebrari, gravia sustineret in spiritualibus & temporalibus detrimenta: Nos cupientes Ordinem ipsum, & singulas ejus Præposituras & loca ubilibet existentia debite reformari, per alias nostras certi tenoris Litteras Generale Capitulum in Civitate Senarum, in Domo Sancti Thomæ Apostoli, dicti Ordinis, per omnes & singulos Præpositos, Prælatos & Religiosos dicti Ordinis, qui secundum illius consuetudinem & Statuta in quocumque Generali ipsius Ordinis Capitulo, dum illud pro tempore celebrari contigerit, insimul convenire tenentur, quintadecima die post Pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi proxime præteritum, decrevimus celebrari, prout in eisdem plenius continetur. Cum autem finis dicti termini jam prope instare noscatur, & pro præfato Capitulo salubriter dirigendo aliquos Prælatos scientia claros, providentia circumspectos, & in Religionis observantia expertos hujusmodi Capitulo præsidere necessarium sit, & etiam opportunum; Nos super his opportune providere volentes ac gerentes de vestra circumspectionis industria in Domino fiduciam specialem, devotioni vestræ eidem Capitulo, postquam ad id celebrandum Præpositi Prælati & Religiosi antedicti congregati fuerint, præsidendi pro executione prædictorum, ac omnia & singula, quæ pro reformatione hujusmodi utilia visa fuerint, faciendi, gerendi, exercendi, mandandi, statuendi, ordinandi, & decernendi, prout vobis videbitur expedire, Contradictores quosque & rebelles per Censuram Ecclesiasticam & alia Juris remedia, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam vobis tenore præsentium con-

concedimus facultatem; volentes ac præsentium auctoritate statuentes, quod omnes & singuli Præpositi ac Prælati dicti Ordinis, qui celebrationi dicti Capituli interfuerint, in electione præfati Generalis, & aliis, ut vobis videbitur expedire certis rationabilibus causis moti, vocem & voces habeant in Capitulo: insuper decernentes, quod eligendus hac vice in Generalem Magistrum dicti Ordinis, de ipso Ordine dumtaxat, & in Sacerdotio constitutus, non ad vitam sed ad tempus per vos terminandum eligatur, & per vos auctoritate Apostolica, si vobis videbitur idoneus, confirmetur, nec possit iterum in posterum in dicto Officio confirmari, nisi decenter & discrete se gesserit tempore, quo fuerit in ipsius Magistri Generalis Officio, & a tribus ex quatuor partibus ipsius Capituli fuerit de novo electus; nec dicta confirmatio nisi ad aliud tantumdem tempus possit extendi; quo elapso, nisi tanto tempore transacto, quanto in toto m præfuerit Magisterio Generali, iterum eligi aut confirmari non possit: adjicientes, & penitus declarantes, quod de cætero nullus de novo in Generalem Magistrum intelligatur electus, nisi in quem ad minus duæ partes Generalis Capituli dederint voces suas; volentes insuper, ac tenore præsentium statuentes, quod præfatus in Generalem dicti Ordinis electus ullam Domum, Præpositum vel Prælatum dicti Ordinis, nisi adhibitis secum duobus ad minus dicti Ordinis Visitatoribus, non valeat visitare; licentiam insuper quoquomodo alienandi in perpetuum vel ad longum tempus possessiones & bona dicti Ordinis, pretiosa mobilia vel immobilia, nec dantibus vel alienantibus consentire, & data & alienata nullius roboris obtineant firmitatem; Quodque etiam hac vice de Definitoribus & Visitatoribus fiendis possitis prout vobis opportunum videbitur providere; Volentes insuper quod in futurum super prædictis, & super vocibus Præpositorum & aliorum ut supra, ac etiam de tempore quod debeat stare Generalis Magister, ac de Constitutionibus dicti Ordinis revidendis, corrigen-

gendis, cassandis, addendis, & diminuendis, & de novo fiendis, & Definitoribus & Visitatoribus supradictis, & circa reformationem Præpositurarum & locorum ac Personarum dicti Ordinis, de consensu tamen majoris partis dicti Capituli, plenè disponere ac providere possitis; Constitutionibus dicti Ordinis, illa videlicet, qua cavetur quod per vigintiquatuor Præpositos, videlicet duodecim Mediolanenses, & duodecim extra Mediolanum, Generalis Magistri dicti Ordinis debeat electio celebrari, ac etiam qua cavetur, quod nulla Constitutio in hujusmodi Capitulo facta vim Constitutionis obtineat, nisi fuerit per tria Generalia Capitula approbata, nec non aliis Constitutionibus dicti Ordinis, ac Apostolicis generalibus vel specialibus in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Vos igitur vobis injunctum Ministerium reverenter suscipientes sic illud ad Laudem & Gloriam Altissimi, præfatique Ordinis directionem salutarem, juxta datam vobis a Deo prudentiam exequi studeatis, quod favente Domino, desiderati fructus proveniant, quos speramus, vosque apud Nos & Sedem Apostolicam dignis laudibus commendari possitis. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, pridie Calendas Maji, Pontificatus Nostri Anno quinto.

De tempore celebrandi deinceps Capitulum Generale. Cap. IV.

PRimo quia neglectus Capitulorum Generalium, & eorum ommissio Religionem hanc in spiritualibus & temporalibus, experientia docente, fecit effluere, volumus & ordinamus, quod aliud Capitulum Generale celebretur in Festo Beati Lucæ in anno sequenti, scilicet in millesimo quadringentesimo trigesimo sexto Ferrariæ in ea Domo, in qua Magistro Generali eligenda, & duobus Visitatoribus illarum partium videbitur; & in millesimo quadringentesimo trigesimo octavo secunda Dominica post Pascha aliud Generale Capitulum celebretur in loco per imme-

diate

diate ſequens Capitulum Generale ſtatuendo: & deinceps de triennio in triennium celebretur Generale Capitulum ſecunda Dominica poſt Paſcha, ut in Conſtitutionibus continetur, in loco in quo in ultimo Capitulo fuerit deputatum: Excepto quod ſi infra triennium Magiſtrum Generalem mori contigerit, vel regulariter amoveri, duo Præpoſiti & duo Prælati, videlicet Præpoſiti de Rondenario & de Vicoboldono, & Prælati de Brayda & Sanctæ Mariæ Magdalenæ Brixienſis, quibus ſecundum Conſtitutiones Ordinis conceditur, ut vacante Magiſterio Generali, ipſius poteſtati ſuccedant, & convocare habeant ſequens Capitulum Generale. Siquidem ſi ipſe Magiſter Generalis ante kalendas Septembris obierit, teneantur ipſum Capitulum ante finem Novembris convocare, in quo Generalis Magiſtri electio celebretur, Si vero poſt kalendas Septembris deceſſerit, dicti quatuor Præpoſiti & Prælati teneantur ad ſecundam Dominicam poſt Feſtum Reſurrectionis immediate ſequens convocare dictum Generale Capitulum.

De Generalatu ad triennium reſtricto. Cap. V.

ITem quem ſupradictus Dominus noſter per Apoſtolicas Litteras ſtatuerit, quod Generalis eligendus in poſterum non ad vitam eligatur, ſed ad tempus per Nos determinandum, decernimus & expreſſe mandamus, quod Magiſter Generalis eligendus & deinceps non ad vitam eligatur, ſed ad triennii tempus tantum. Item quod ipſo triennio completo, intelligatur non eſſe amplius Generalis & teneatur cedere Magiſterio, & regimini ipſius Magiſterii. Quod ſi renuerit, ex nunc prout ex tunc declaramus ipſum non eſſe Generalem, quin immo etiam cecidiſſe a quocumque jure Præpoſituræ vel Prælaturæ, ſi quam tunc haberet. Et nihilominus mandamus Præpoſitis & Prælatis, & omnibus Fratribus & Sororibus hujus Ordinis, quod dicto Fratri nullam exhibeant obedientiam & reverentiam ut Magiſtro Ge-

nerali: Et si quis secus fecerit, ipso facto sit privatus a Præpositura vel Prælatura si quam habet. Si autem ipsæ tres partes ex quatuor Capituli Generalis secundum tenorem supradictarum Litterarum Apostolicarum ipsum reeligerent vel confirmare voluerint, acquiescimus, & eumdem dictarum Litterarum tenorem reverentissime volumus observari; Adjicientes quod si electus in Generalem Magistrum fuerit Præpositus vel Prælatus, ipsa Præpositura vel Prælatura reservetur eidem, nec propter Generalatum amittat.

Taxa Fodri Domino Generali Magistro, & salarii ejusdem Cancellario, pro collatione Præpositura vel Prælatura persolvendi. Cap. VI.

ITem quum loca dicti Ordinis propter conditiones temporum, & graves taxas nimium sint gravata, volumus & ordinamus, quod Generalis Magister qui pro tempore fuerit, habeat annuatim a Præpositis Prælatis & Sororibus & locis Ordinis solum medietatem taxarum solvi in præsenti solitarum, ita tamen, quod supportet omnia onera sumptusque ipsi Generalatui incumbentia pro tempore quo fuerit Generalis, & hac provisione sit omnino contentus, ita quod nulla alia occasione visitationis vel provisionis novæ de aliquo Præposito vel Prælato, vel provisionum fiendarum Procuratori Ordinis vel Protectori in Curia Romana, Bulletarum vel Confessionum fiendarum de fodro soluto aliquid ultra possit exigere a locis vel a Fratribus vel Sororibus. In qualibet autem Collatione nova Præpositi vel Prælati, ejus Cancellarius habeat medium florenum de Camera, ita tamen quod det illi cui provisum fuerit de Præpositura vel Prælatura, Litteram bullatam & penitus expeditam. Dicta Ordinatio & Constitutio facta fuit de voluntate & consensu omnium supradictorum Præpositorum & Prælatorum, dissentiente Domino Fratre Simone Præposito Braydæ de Mediolano.

De

De confirmatione a Magistro Generali facienda in electionibus Præpositorum, ita ut neque possit ab eo infirmari electio, si electus ipsi non videatur idoneus, sine licentia duorum Visitatorum. Cap. VII.

ITem quum secundum Constitutiones Ordinis per Conventum debeat fieri electio Præpositorum vel Prælatorum, volumus & mandamus, quod qui electus fuerit in Præpositum vel Prælatum a majori parte Conventus per Magistrum Generalem debeat confirmari. Quod si sibi dictus electus non videatur idoneus, & appareat electio illa cassanda, non possit illam cassare & annullare sine consensu duorum Visitatorum, qui ipsi Generali propinquiores extiterint. In locis vero, ubi propter paucitatem Fratrum nulla electio potest fieri, ipse Magister Generalis de Præposito vel Prælato secundum conscientiam suam poterit providere.

De electione Visitatorum, & de modo ipsos eligendi, & una cum ipsis visitandi Domos Ordinis. Cap. VIII.

ITem statuimus, & ordinamus, quod in quolibet Generali Capitulo per ipsum Capitulum eligantur quatuor Visitatores, videlicet duo de Terris subditis Illustribus Dominis Ducibus Mediolani, & Sabaudiæ, & Marchioni Montisferrati, & duo de Terris subditis Dominio Venetorum, Tusciæ, Marchionibus Ferrariæ, & Mantuæ, atque Romandiolæ; qui una cum Generali Magistro vel ejus Vicario, si ipse ex legitimo impedimento adesse nequiverit, teneantur & debeant semel dumtaxat infra unum Capitulum Generale & aliud totum Ordinem visitare, videlicet ipse Dominus Generalis vel ejus Vicarius Visitatoribus illarum partium quas visitaverit, sociatus. Si tamen interim in aliquo loco aliquis casus emergat, propter quem videatur ipsi Magistro Generali & Visitatoribus illarum partium locus aliquis visitandus frequentius, poterunt visitare; Et expresse volumus & statuimus

quod Magister Ordinis vel ejus Vicarius in dicta visitatione nihil possit a Conventibus vel Monasteriis exigere vel accipere, nisi expensas moderatas cibi & potus tam pro se quam pro equis suis tribus aut quatuor ad plus. Dominis vero Visitatoribus & Vicario ipsius Domini Generalis, si ipse visitaverit, provideatur modeste & moderate, determinantes quod prædictus Dominus Magister vel ejus Vicario debeant visitasse loca principaliora Ordinis infra quinque dies, minora vero infra tres dies; Et si ultra steterint sine Præpositi culpa vel Conventus, de cætero vivant.

De tempore solvendi Fodrum Magistro Generali. Cap. IX.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet, qui debet solvere Fodrum Generali Magistro in præsenti Capitulo, favente Deo, eligendo, infra unum mensem a dissolutione hujus Capituli solvisse debeat medietatem taxæ suæ; ut ipse Dominus Magister usque ad Festum omnium Sanctorum immediate sequens, in quo secundum consuetudinem debet recipere Fodrum pro anno sequenti, habeat unde possit onera Generalatus supportare.

Quali pœna Generalis Magister arctare possit non solventes. Cap. X.

ITem cum propositum nostrum sit, quantum cum Deo possumus, Animas solvere & relevare, & non illaqueare sive ligare; statuimus, ordinamus, & definimus quod Constitutio illa quam fecit bonæ memoriæ Frater Benedictus olim Generalis in Capitulo celebrato Pergomi in Domo de Galgari, & eam confirmavit Magister Christophorus olim etiam Generalis in Capitulo celebrato in Domo Sanctæ Marthæ de Janua: in qua ponitur pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus non solventibus Fodrum statuto tempore, & eorum Ecclesiæ supponuntur Ecclesiastico Interdicto, de Constitutionibus omnino tollatur; & eam ex nunc omnino annullamus, & penitus irritamus;

sta-

ſtatuentes quod ſi quis debeat ſolvere Fodrum, & non ſolverit ante Feſtum omnium Sanctorum, vel in ipſo Feſto, ut Conſtitutiones Ordinis mandant, tales non ſolventes poſſit Dominus Magiſter ab Officio Præpoſituræ vel Prælaturæ ſuſpendere, & ſi ſuſpenſus per ſex menſes in dicta ſuſpenſione perſtiterit, poſſit dictus Dominus Magiſter cum conſenſu Viſitatorum illarum partium talem ſuſpenſum ab Officio Præpoſituræ vel Prælaturæ privare. Quæ proviſio, conſtitutio, & ordinatio facta fuit per omnes Præpoſitos & Prælatos, diſſentiente Domino Fratre Philippo Præpoſito de la Vinea de Laude.

De celebrando Feſtum Conceptionis. Cap. XI.

INſuper ſtatuimus & ordinamus, quod Feſtum Conceptionis Glorioſæ Virginis Mariæ celebretur deinceps in noſtro Ordine octava die Decembris, & fiat Feſtum in omnibus ſicut in Nativitate ejuſdem, excepto quod ubi dicitur *Nativitas*, dicatur *Conceptio*.

Quod in fine omnium Horarum dicatur Salve Regina, & poſtea Oratio Protege quæſumus &c. Cap. XII.

ITem quod in fine omnium Horarum dicatur *Salve Regina &c.*, cum verſu *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, & cum oratione *Protege quæſumus Domine &c.*

Quod nullus poſſit ultra viginti ducatos auri affictare ſine licentia Domini Magiſtri & Viſitatorum. Cap. XIII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod nulla Perſona Ordinis noſtri, nec etiam Conventus cujuſcumque conditionis exiſtat, aut etiam Miniſtra audeat vel præſumat affictare, & nec affictare poſſit ſeu locare aut pignori tradere, vel aliquo quovis modo obligare hoſpitia, vineas, terras, prata, nemora, molendina, & ſeu alias poſſeſſiones quaſcumque ad Domus noſtri Ordinis quomo-

modocumque spectantia & pertinentia, quæ communi æstimatione ascendant valorem viginti ducatorum auri annuatim absque Domini Magistri licentia, & Visitatorum illius Provinciæ. Qui vero contra fecerint, ipso facto sint suspensi ab Officio Præposituræ, & puniantur arbitrio Domini Magistri & Visitatorum.

De cassatione Constitutionum Magistri Christophori olim Generalis Magistri in Domo Sanctæ Marthæ Januensis, & de approbatione Constitutionum in præsenti Capitulo factarum. Cap. XIV.

ITem attendentes quod non debeat reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum Statuta quandoque varientur humana, quoniam ipse Deus nonnulla quæ in Testamento ponuntur Veteri in melius reformavit in Novo; igitur statuimus, & ordinamus, quod omnes & singula Constitutiones editæ & promulgatæ per Dominum Magistrum Christophorum in Domo Sanctæ Marthæ vel alibi, cancellentur & annullentur de Constitutionibus nostris, & ipso facto pro nullis habeantur, nec obligent aliquem de Ordine nostro ad earum observantiam; Et hoc ex certa scientia Domini Magistri Domini Fratris Stephani de Arzago Magistri Generalis totius Ordinis, & omnium de Capitulo nemine discrepante: Et quod omnes antedictæ Constitutiones incorporentur in Constitutionibus antiquis dicti Ordinis. Et statuerunt quod suprascriptæ Constitutiones robur firmitatis habeant ac si essent approbatæ per tria Generalia Capitula. Et factæ fuerunt auctoritate Præsidentium Apostolicorum suprascriptorum. Deo gratias.

Approbatio Constitutionum præsentium. Cap. XV.

ITem statuimus, & ordinamus Nos Præsidentes Apostolici prædicti, una cum dictis Dominis Præpositis & Prælatis ut supra capitulariter congregatis, & de eorum beneplacito & consensu, quod omnes Constitutiones, quæ factæ & promulgatæ fuerunt in

in præsenti Capitulo, habeant vim & roboris firmitatem, quemadmodum si essent approbatæ per tria Generalia Capitula, non obstantibus aliis suprascriptis Constitutionibus in contrarium disponentibus, quibus ex certa scientia volumus derogari. Quæ quidem Capitulum & Constitutiones dicti Domini Præsidentes Apostolici approbaverunt, & promulgaverunt, & confirmaverunt, & eisdem auctoritatem Apostolicam, quam habent, interposuerunt coram me Notario & testibus infrascriptis, loco & capitulo de quibus continetur. Et ego Antonius quondam Gualfredi Clericus & Notarius, Cæsarea auctoritate Judex Ordinarius &c. fui præsens per suprascriptum Capitulum Generale electus & assumptus, & ad suprascripta specialiter deputatus, prædictis omnibus & singulis suprascriptis contentis in quinque chartis præcedentibus manu alterius Notarii fide digni scriptis ex commissione sibi per me facta, quia etiam aliis occupatus præsens, dum sic agerentur & fierent, interfui una cum dictis Testibus. Ideoque omnia prædicta heic scribi feci, publicavi & autenticavi cum signo meo & nomine consuetis, in fidem & testimonium omnium præmissorum.

QUARTADECIMA DISTINCTIO.

Constitutiones editæ in Capitulo Mantuano, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto coram Præsidente Apostolico.



Capituli tempus ac locus, quive illi affuerint. Cap. I.

IN Christi Nomine Amen. Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, Indictione quarta decima, die Jovis decimo octavo mensis Octobris, qua die inceptum & inchoatum est Capitulum Sacrum celebrari Venerabilium Religiosorum Fratrum Præpositorum Ordinis Humiliatorum, in loco dicto

dicto Capitulo, sito in Monasterio Sanctæ Mariæ de Credario Ordinis Sancti Marci Mantuæ, sito in Civitate Mantuæ in Contrata Navis, præsentibus Venerabili Frate Francisco de Caresolis, Priore dicti Monasterii Sanctæ Mariæ de Credario, Fratre Jacobo de Viventia Conventuali dicti Monasterii, Bartholomæo quondam Thomæ de Vertua, & Antonio quondam Joannis de Caravagio, Testibus adhibitis & rogatis, ibi convocatis unitis, & collegialiter & capitulariter congregatis Reverendo Patre & Domino Generali Magistro dicti Ordinis Humiliatorum, simul & una cum Venerabilibus Dominis Præpositis infrascriptis dicti Ordinis pro nonnullis negotiis pro dicto Ordine Humiliatorum utiliter & necessario tractandis & ordinandis per eos juxta Constitutiones Ordines & Instituta dicti Ordinis.

In quo quidem Capitulo interfuerunt Reverendus Pater & Dominus Generalis Magister dicti Ordines, & omnes & singuli Venerabiles Præpositi dicti Ordinis inferius singulariter descripti.

Reverendus in Christo Pater & Dominus Frater Stephanus de Arzago, Dei gratia Generalis Magister dicti Ordinis.

Frater Joannes, Præpositus Domus de Vicoboldono.

Frater Dominicus, Præpositus Domus de Rondenario.

Frater Thomasius, Præpositus Domus de Brayda Mediolani.

Frater Stephanus, Præpositus Domus de Gambara Brixiæ.

Frater Gabriel, Præpositus Domus de Vigalono Papiæ.

Frater Francischinus, Præpositus Domus Sancti Christophori Laudensis.

Frater Girardus, Procurator Domus Sanctæ Agathæ de Modoetia.

Frater Gabriel, Præpositus Domus Novæ Mediolani.

Frater Philippus, Præpositus Domus Omnium Sanctorum Laudensis.

Frater Bartholinus, Præpositus Domus Sancti Lucæ Brixiæ.

Frater Andræas, Præpositus Domus Sancti Abundii Cremonæ.

Frater Jacobinus, Præpositus Domus de Marliano Mediolani.

Frater

Frater Franchetus, Præpositus Domus Sancti Martini Vercellensis.
Frater Tonolus, Præpositus Domus de Galgari Pergomensis.
Frater Vincentius, Præpositus Domus de Monteforti Mediolani.
Frater Herculanus, Præpositus Domus in Capite Pontis Parmæ.
Frater Ambrosius, Præpositus Domus Sanctæ Crucis de Novaria.
Frater Antonius, Præpositus Domus Sancti Kalimeri Mediolani.
Frater . . . . Præpositus Domus de Vico de Cumis.
Frater Joannes, Præpositus Domus Sancti Christophori de Vercellis.
Frater Georgius, Præpositus Domus Sancti Joannis de Alexandria.
Frater . . . . . . Præpositus Domus Sanctorum Simonis & Judæ Novariæ.
Frater Antonius, Præpositus Domus Communis de Pergamo.
Frater Albertus, Præpositus Domus de la Glarea Veronæ.
Frater Paullus, Præpositus Domus Sancti Spiritus Mediolani.
Frater Simon, Præpositus Domus Orientalis Mediolani.
Frater Philippus, Præpositus Domus Canonicæ Novæ Mediolani.
Frater Ambrosius, Præpositus Domus Sancti Jacobi Cremonæ.
Frater Girardus, Præpositus Sancti Bartholomæi Modoetiæ.
Frater Marchettus, Præpositus Domus de Montecalerio.
Frater Manfredus, Præpositus Domus Sancti Michaelis de Modoetia.
Frater Gabriel, Præpositus Domus de Quargnento Alexandriæ.
Frater Dominicus, Præpositus Domus Sancti Quirici Astensis.
Frater Martinus, Præpositus Domus Sanctæ Trinitatis Mediolani.
Frater Antonius, Præpositus Domus de Archino (*l.* de Argine) de Placentia.
Frater Dodus, Præpositus Domus Sancti Lucæ de Scivenia (*Mutinæ*).
Frater Nicolinus, Præpositus Domus de Mirasole extra Mediolanum.

Frater Andreas, Præpositus Domus de Florentia.
Frater Andreas, Præpositus Domus Dei, Astensis.
Frater Antonius, Præpositus Domus de Taurino.
Frater Donatus, Præpositus Domus de Rasula Pergomensis.
Frater Leonardus, Præpositus Domus Sanctæ Marthæ de Janua.
Frater Alexius, Præpositus Domus Sanctorum Jacobi & Philippi Brixiæ.
Frater Girardus, Præpositus Domus de Mediovico.
Frater Antonius, Præpositus Domus de Glavasio.
Frater Jacobus, Præpositus Domus de Cassina de Carrate.
Frater Bartholomæus, Præpositus Domus de Consignaga Brixiæ.
Frater Faciottus, Præpositus Domus de Marolino (S. Marliano).
Frater Petrus, Præpositus Domus Sancti Andreæ de Cavanago.
Frater Petrus, Præpositus Domus de Rhegio.
Frater Jacobus, Præpositus Domus de Brianzano Pergomi.
Frater Matthæus, Præpositus Domus de Pistorio.
Frater Christophorus, Præpositus Domus Sanctæ Catharinæ Cremonæ.
Frater Antonius, Præpositus Domus de Ripalta de Modoetia.
Frater Christophorus, Præpositus Domus de Carugate Mediolani.
Frater Petrus, Præpositus Domus de Canubio.
Frater......, Præpositus Domus Sancti Syri de Alexandria.
Frater Paulinus, Præpositus Sancti Thomæ de Mantua.
Frater Zeno, Præpositus Domus Sancti Bartholomæi Veronæ.
Frater Cabrinus, Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Palazolo Brixiæ.
Frater Joannes, Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Civulis.
Frater Philippus, Præpositus Domus Sancti Christophori de Venetiis.
Frater Ruffinus, Præpositus Domus Sanctæ Trinitatis de Aviliana.
Frater Optavianus, Præpositus Domus Sancti Francisci de Padua.
Frater Joannes, Præpositus Domus Sancti Bartholomæi de Redigio.

Frater

Frater Marcus, Præpositus Domus Sancti Pauli de Corneliano.

Frater Jacobus, Præpositus Domus Sancti Bernardi de Faventia.

Frater Joannes, Præpositus Domus Sancti Christophori Veronæ.

Frater Donus, Præpositus Domus de Tumba Veronæ.

Frater Benedictus, Præpositus Domus Sancti Martini de Sancto Miniate.

Frater Isachinus, Præpositus Domus de Soncino.

Frater Paulus, Præpositus Domus Sanctæ Caterinæ de Cislago.

Frater Joannes, Præpositus Domus de Cemo.

Frater Joannes, Præpositus Domus Sancti Joannis Baptistæ de Domasio.

Frater Joannes, Præpositus Domus Sancti Nicolai de Bellano.

Frater Joannes, Præpositus Domus Sanctæ Ursulæ de Surigo.

Frater Jacobinus, Præpositus Domus Sancti Joannis Evangelistæ de Applano.

Frater Petrus, Præpositus Domus Sanctæ Mariæ de Burgo Sancti Donnini.

Frater....... Præpositus Domus Sancti Baudolini de Alexandria.

Frater Augustinus, Præpositus Domus de Umbriano Cremæ.

Qui quidem Venerabiles, Dominus Generalis Magister, & Præpositi superius singulariter expressi, unanimiter & concorditer, & ipsorum unanimi concordia & voluntate, in præsentia, de consensu & bona voluntate Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Fratris Thomæ, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Recanatensis & Maceratensis Episcopi (1), in hac parte Auctoritate Apostolica Præsidentis virtute Litterarum Apostolicarum ibidem exhibitarum & præsentatarum per eum, non abolitarum, nec cancellatarum, nec aliqua in parte suspectarum, sed omni prorsus vitio & suspicione carentium, scriptarum sub Data Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo

(1) V. pag. 204.

mo trigefimo fexto, Idus Octobris, Pontificatus dicti Domini Papæ anno fexto, cum Bulla plumbea ad cordulam canapis apenfa, more Romanæ Curiæ.

Quarum quidem Litterarum tenor & feries fequitur, & eft talis:

Eugenii Papæ Quarti Litteræ fuper hoc ipfo Generali Capitulo ad Recanatenfem & Maceratenfem Epifcopum, qui eidem præfideat. Cap. II.

EUgenius Epifcopus Servus Servorum Dei Venerabili Thomæ, Recanatenfi & Maceratenfi Epifcopo Salutem & Apoftolicam Benedictionem. Perfonam tuam Nobis & Apoftolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia profequentes, illa tibi libenter committimus, per quæ Perfonarum quarumlibet fub Religionis habitu Altiffimo famulantium ftatui & directioni debite confulatur, illarumque Monafteria Domus atque loca falutaria in fpiritualibus & temporalibus fufcipiant incrementa. Cum itaque nuper Generale Capitulum Ordinis Humiliatorum in die fefto Sancti Lucæ proxime futuro inchoandum in Domo feu Monafterio Fratrum dicti Ordinis Civitatis Mantuæ, & de fpeciali mandato celebrari debeat; Nos de multiplicum virtutum donis, quibus Perfonam tuam in pluribus ac arduis noftris & Romanæ Ecclefiæ negotiis per te hactenus laudabiliter executis, cognovimus infignitam, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac fperantes quod ea, quæ tibi committenda duxerimus, fideliter exequeris & prudenter; & per tuam prudentiam circumfpectam & ftudium fructuofum Præpofiti & Religiofi præfati Ordinis, eorumque Monafteria Domus & loca hujufmodi debitæ reformationis beneficio gaudeant, & optata commoda fufcipiant, falubriter providere volentes: Te præfenti Capitulo præfidentem ex nunc Auctoritate Apoftolica facimus conftituimus, & etiam deputamus, Tibi nihilominus quamdiu Capitulum præ-

fatum

ſtatum durabit, Monaſteria Domus & Loca, eorumque Prælatos Fratres & Perſonas hujuſmodi tam in Capite quam in membris viſitandi, corrigendi, puniendi, carcerandi, ac inferendi, reformandi, ac omnia alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea, prout tibi pro ſalubri ſtatu & directione videbitur, & quemadmodum in Capitulo præfati Ordinis de Anno proxime præterito Senis celebrato aliarum Litterarum noſtrarum vigore potius faciendi & exequendi plenam & liberam Auctoritatem Apoſtolicam prædictam, poteſtatem & facultatem ſpecialiter dantes pariter & concedentes. Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, Idus Octobris Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Quod hujus Capituli celebratio fiat Mantuæ, cum alioqui Ferrariæ fieri, debuiſſet; hoc tamen nihil officiat valori Conſtitutionem in hoc ipſo Capitulo edendarum. Cap. III.

QUoniam, ut præfatus Dominus Generalis Magiſter, & cæteri Venerabiles Præpoſiti dicti Ordinis ſuperius ſeriatim expreſſi, dixit & aſſeruit, ac dixerunt & proteſtati fuerunt, ſicut in Capitulo Sacro dicti Ordinis celebrato Anno præterito in Civitate Senarum, concluſum pariter & determinatum fuit, quod præſens Capitulum deberet Anno præſenti in Civitate Ferrariæ celebrari, propter legitimam cauſam evidentem & occurrentem, non liceat hoc Capitulum in dicta Civitate Ferrariæ præſentialiter celebrari, ea propter præfatus Dominus Generalis Magiſter cæterique Venerabiles Præpoſiti dicti Ordinis ſuperius ſpecifice expreſſati, in præſentia, de conſenſu, & bona voluntate præfati Reverendi Patris & Domini Fratris Thomæ Epiſcopi & Præſidentis Apoſtolici præſentis & conſentientis dictam declarationem alias in alio Capitulo Anno præterito celebrato in Civitate Senarum, reformantes pro utilitate dicti Ordinis, & ut Ordo dictorum Fratrum, & loca & Monaſteria ejuſdem Ordinis in ſpiritua-

ritualibus & temporalibus detrimentum non patiantur, sed illi & illis valeant opportune providere, terminavit & declaravit, ac terminaverunt ac declaraverunt, dictum Capitulum pro præsenti celebrari posse & debere pro hac vice in Civitate Mantuæ in Monasterio Sanctæ Mariæ de Credario; & quod omnes Constitutiones, Reformationes, & Instituta, & quæcumque alia omnia & singula, quæ in præsenti Capitulo dictus Reverendus Dominus Generalis Magister, & Venerabiles Domini Præpositi antedicti duxerit seu duxerint constituendum, instituendum, & reformandum pro bono, utilitate, & honore, & favore dicti Ordinis & Monasteriorum ejusdem quocumque & qualitercumque quovis quæsito colore valeant, & teneant, & suum plenum sortiantur effectum in omnibus & per omnia, ac si fuissent acta, gesta, instituta, constituta, & reformata, etiamsi commode fieri; constitui, & celebrari potuissent in Civitate Ferrariæ, dicta electione de dicto Capitulo hoc Anno celebrando in Civitate prædicta Ferrariæ ullatenus non obstante. Cui quidem Actui legitimo præfatus Reverendus Dominus Episcopus Præsidens Auctoritatem suam, & verius Apostolicam interposuit pariter & assensum.

Quinam deinceps vocandi sint Præpositi, quive Prælati.
Cap. IV.

POstea præfatus Reverendus Dominus Generalis Magister, cæterique Venerabiles Præpositi antedicti ibidem in dicto Capitulo collegialiter & capitulariter congregati, ne amplius vertatur in dubium, qui sint & vocari debeant censeri & reputari Præpositi, & qui Prælati in dicto Ordine, secundum quod in antiquis Constitutionibus dicti Ordinis comprehenditur, reformantes Constitutiones hujusmodi dixit & declaravit, ac dixerunt & declaraverunt, & verius Constitutiones hujusmodi reformaverunt (ut amplius non vertatur in dubium) quod quicumque Sacerdos dicti Ordinis seu in Sacris Ordinibus constitutus, assumptus, electus, & depu-

deputatus ad regimen gubernationem & administrationem alicujus Monasterii dicti Ordinis, secundum Ordines & Instituta dicti Ordinis vocetur, censeatur, & reputetur de cætero, ac censeri, vocari, ac reputari debeat Præpositus; reliqui vero Fratres dicti Ordinis extra Sacros Ordines constituti, sint & esse debeant, & de cætero vocari, censeri, & reputari Prælati, usquequo forte, Deo favente, ad Sacerdotalem Dignitatem pervenerint & seu fuerint in Sacris Ordinibus constituti. Cui quidem reformationi præfatus Reverendus Dominus Commissarius Apostolicus ibidem continue præsens, audiens, & intelligens, suam & verius Apostolicam interposuit auctoritatem pariter & assensum.

Definitores eliguntur quomodo, & ad quod tempus. Cap. V.

Millesimo & Indictione prædictis, die vero Veneris decimonono Octobris de mane in loco dicto Capitulo prædicto, Reverendus Dominus Generalis Magister, & Venerabiles Domini, Frater Dominicus Præpositus de Rondenario, Frater Thomasinus Præpositus de Brayda, volentes ad laudem Dei Omnipotentis & totius Curiæ Cœlestis ad fœlicem recordationem hujus devoti Capituli, & ad perpetuam reformationem totius præsentis Ordinis fœliciter devenire, ad electionem Definitorum devenerunt & processerunt in huic modum; videlicet quia elegerunt unanimiter & concorditer Venerabiles Dominum Præpositum de Pinarolo, Dominum Præpositum de Monteforti, Dominum Præpositum Sancti Michaelis de Modoetia, & Dominum Præpositum Sancti Syri de Alexandria.

Qui quidem quatuor electi & deputati, ut supra, immediate & post spatium brevissimum temporis & horæ, in loco prædicto & præsentibus superius nominatis, avidi ut Ordo Venerabilium..... de bono in melius reformetur, & sine scandalo tractetur, regatur, & gubernetur, ex auctoritate ipsis attributa tam ex forma Sacrarum Constitutionum dicti Ordinis quam aliter, elegerunt

in

in Definitores & pro Definitoribus hujus Almi Capituli Venerabiles Dominos Præpofitos infrafcriptos, heic inferius fingulariter expreffos:

Fratrem Simonem Præpofitum Domus Portæ Orientalis Mediolani Vicarium Generalem, Fratrem Joannem Præpofitum de Vicoboldono, Præpofitum de Marliano, Præpofitum Sancti Kalimeri, Præpofitum Canonicæ Novæ, Præpofitum de Mirafole, omnes ifti funt de Civitate Mediolani. Fratrem Stephanum Præpofitum Domus de Gambara Vicarium Generalem, Fratrem Andræam Præpofitum Domus de Florentia Vicarium Generalem. Præpofitum Domus de la Vinea de Laude, Præpofitum Domus Sancti Abundii Cremonæ, Præpofitum Sancti Chriftophori de Venetiis, Præpofitum Sanctæ Trinitatis de Aviliana, Præpofitum Sancti Lucæ de Mutina, Præpofitum Sancti Martini de Crema, Definitores a Latere.

Duret autem ipforum Definitorum Officium ufque ad celebrationem alterius Capituli Generalis celebrandi.

Quid item agitatum fuerit, ac denique ftatutum fuper Domo de Glaffiate Monachis Sanctæ Juftinæ nigris affignata (1). *Cap. VI.*

IN Chrifti Nomine. Amen. Anno a Nativitate ejufdem millefimo quadringentefimo trigefimo fexto, Indictione quartadecima celebratum fuit Capitulum Generale Ordinis Humiliatorum in Civitate Mantuæ, in Monafterio Sanctæ Mariæ de Credario, quod eft Ordinis Sancti Marci Mantuæ. Inchoatum fuit die decima octava Octobris, in Fefto videlicet Sancti Lucæ. In quo Capitulo interfuerunt omnes Præpofiti dicti Ordinis, fuperius expreffati; & perfeverante dicto Capitulo, inter cætera quæ ordinaverunt & ftatuerunt dicti Domini, die vigefima dicti menfis deliberaverunt omnes de Capitulo effe devotos Filios Summi Pontifi-

(1) De turbis hac fuper re excitatis V. Vol. I. pag. 318.

tificis, & ejus mandatis in omnibus obedire, nec velle in aliquo contradicere, nec etiam velle movere quæstionem contra Domum de Glaxiate, & in quantum etiam in eis est velle procurare; quod nemo de Ordine litem & quæstionem contra Domum ipsam moveat: supplicantes etiam eidem devote, ut Sanctitas Sua Ordinem ipsum dignetur suscipere recommissum, & eidem in recompensationem Domus prædictæ Monasteria jamdudum promissa conferre; supplicantes insuper eidem Sanctitati, quod si contingeret Monachos illius Domus de Glaxiate non facere observantiam, vel recedere a Congregatione Sanctæ Justinæ de Padua Ordinis Monachorum nigrorum, tunc ipso facto revertatur, & redisse intelligatur ad Ordinem Humiliatorum; quodque prædicti Fratres ipsius Domus de Glaxiate teneantur relevare Ordinem prædictum ab omnibus oneribus eidem Domui imponendis pro impositionibus eidem Domui contingentibus.

Quibus attamen votis sic consentientibus respondit Venerabilis Frater Simon de Gisulfis Præpositus Sancti Joannis Baptistæ, velle etiam quemadmodum tenetur, omnibus parere mandatis Apostolicis; si tamen Dominus Abbas Sanctæ Justinæ, vel ejus tota Religio sui Ordinis, quemadmodum promiserunt quampluries, Auctoritate Apostolica faciat locum nostri Ordinis Bononiensem restitui, locoque alterius Monasterii Sanctorum Petri & Pauli de Glaxiate aliud æquivalens Romæ vel alibi Monasterium deputetur. Sin vero aliter hactenus per eos non fuerit observatum, omnia quæ inventa fuerunt in scriptis ad liberationem illius Monasterii ablati robur defensionis ex parte Ordinis perpetuum obtineant, nisi jus aliud tali sententiæ suæ derogaret. Cum novissime gratia Dei & Apostolicæ Sedis ad bene sanctèque vivendum in melius fuerimus magnis præsidis reformati.

Dissentiente etiam Fratre Christophoro de Capitaneis de Azino, Præposito Domus Sancti Dominici de Carugate vulgariter nuncupatæ, & qui dixit quod non assentiebat, dictum Mo-

nasterium de Glaxiate transferri secundum terminationem factam ut supra, nisi dicti Monachi Ordinis Sanctæ Justinæ de Padua sumant, recipiant, & portent vestes & habitus dicti Ordinis Humiliatorum.

Contradicente etiam Fratre Gabriele Præposito Domus Novæ Mediolani, & dicente prædictis consentire, dummodo illi Monachi sumant habitum vestimentorum alborum, aliter non.

Quibus omnibus & singulis continue præsens, audiens, & intelligens Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Thomas Dei & Apostolicæ Sedis gratia Recanatensis & Maceratensis Episcopus per Apostolicam Sanctam Sedem Præsidens, & Delegatus dicto Capitulo ad validationem & majorem roboris firmitatem, suam & verius Apostolicam Auctoritatem interposuit, & Decretum Pastorale suum pariter.

Acta & celebrata fuerunt omnia & singula suprascripta ut supra, in loco dicto Capitulo Ecclesiæ & Monasterii Sanctæ Mariæ de Credario Ordinis Sancti Marci de Mantua, currente anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, Indictione quartadecima, die vero Sabbati vigesima mensis Octobris: præsentibus religiosis & honestis Viris Fratre Jacobo de Vincentia, Fratre Francisco de Vincentia, & Fratre Ludovico de Mantua, omnibus Conventualibus dicti Monasterii de Credario, testibus adhibitis, & rogatis. Rogantes & rogaverunt dictus Generalis Magister, Domini Definitores, & etiam dictum totum Capitulum me Bartholomæum de Navis Notarium subnotatum, ut de prædicta publicatione prædictarum Constitutionum, Ordinationum, & omnium suprascriptorum publicum conficiam Documentum ad perpetuam rei memoriam, & fidem indubitatam omnium & singulorum præmissorum.

Ego Bartholomæus filius quondam Magistri de Navis de Capriana Cirugici, publicus Imperiali auctoritate Notarius & Civis Mantuæ, per Reverendum Generalem Magistrum ac Definitores

tores electus & deputatus prædictis omnibus & singulis dum sic agerentur & fierent, præsens fui, eaque omnia vidi & audivi: & rogatus a præfato Reverendo Patre & Domino Thoma Episcopo & Præsidente Apostolico scripsi & subscripsi cum meis signo & nomine consuetis.

Generalis Magister eligatur ab omnibus Præpositis Ordinis in unum congregatis, & non a vigintiquatuor tantum sicut in una Constitutionum antiquarum præscribebatur. Cap. VII.

IN Christi nomine, Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo trigesimo sexto, Indictione quartadecima, in celebratione Generalis Capituli Fratrum Ordinis Humiliatorum, celebrati in Capitulo Monasterii Sanctæ Mariæ de Credario Ordinis Sancti Marci Mantuæ, Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Frater Thomasius, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Recanatensis & Maceratensis Episcopus, prædicto Capitulo Præsidens Apostolicus, volens juxta sibi a Summo Pontifice attributam potestatem, dictum Ordinem Humiliatorum in melius reformare, deliberavit scrutinium facere super electione Generalis Magistri dicti Ordinis de cætero eligendi, & super eo voces ab omnibus Præpositis in dicto Capitulo extantibus obtinere & habere, videlicet qui sunt & qui non sunt assentientes & contenti, quod ab amodo in antea electio Generalis Magistri fiat & fieri debeat per universos Præpositos dicti Ordinis, & quod omnes Præpositi dicti Ordinis vocem habere debeant in electione dicti Generalis Magistri, ac vigintiquatuor Præpositi secundum Constitutionem dicti Ordinis in Capitulo dicto congregati præsentes & intelligentes auctoritate Apostolica, quatenus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna debeant hodie in Vesperis in dicto Capitulo omnes pariter interesse ad præstandum voces suas super assensu & dissensu ipsorum circa electionem dicti Generalis Magistri, intendit ab eis secret or-

ordine obtinere, videlicet per exhibitionem fabarum albarum & nigrarum. Quibus Venerabilis Frater Joannes Præpositum Domus de Vicoboldono, & multi alii, qui promiserunt nomina eorum mihi in scriptis offerre, non assenserunt, nec assentire voluerunt ullo modo, quoniam dixerunt super electione hujusmodi habere Constitutiones bonas æquas & justas, reformatione & correctione non indigentes, a quibus non intendunt discedere.

Acta fuerunt prædicta die Sabbati, vigesimo mensis Octobris millesimo suprascripti de mane.

Eodem die Sabbati vigesimo mensis Octobris post nonas, præsentibus Religiosis Viris, Fratre Francisco de Vincentia Professo dicti Monasterii de Credario, & aliis convocatis, ac collegialiter & capitulariter congregatis, & unitis omnibus Præpositis dicti Ordinis, & maxime superius expressatis, sono campanellæ præmisso, more consueto, etiam ad jussum & mandatum præfati Reverendi Patris & Domini, Domini Episcopi Præsidentis Apostolici antedicti; pro Ordinationibus Constitutionibus & Reformationibus faciendis pro honore & utilitate dicti Capituli, præmisso prius per præfatum Dominum Præsidentem partito super electione Domini Generalis Magistri dicti Ordinis de cætero facienda, quod quilibet Præpositus dicti Ordinis assentiens omnes Præpositos dicti Ordinis vocem habere in electione Generalis Magistri dicti Ordinis de cætero facienda, & quod per omnes Præpositos dicti Ordinis fiat hujusmodi electio, & non per vigintiquatuor dumtaxat secundum seriem Constitutionum dicti Ordinis, apponat fabas nigras; qui autem contrarium assentitur, videlicet quod vigintiquatuor dumtaxat, juxta Constitutiones & Edicta dicti Ordinis faciant dictam electionem, apponat fabas albas, quoniam secundum devotionem majoris partis intendit dictum Ordinem reformare. Quibus omnibus & singulis Venerabilis Frater Joannes Præpositus Domus de Vicolbodono, & alii multi, qui promiserunt nomina eorum mihi in scriptis exhibere

non

non consentientes dixerunt, & protestati fuerunt ipsi Domini Præpositi nomine suo & nomine aliorum adhærere volentium, præfatum Dominum Præsidentem Apostolicum, salva semper reverentia, non posse nec debere ad dictum scrutinium procedere pluribus rationibus & causis. Primo Constitutiones Ordinis, quemadmodum in habendis vocibus in Capitulo, & in electione Magistri nos gerere oporteat præscribentes, bene & prudenter sunt ordinatæ; & illud quod juste & legitime factum est, non debet revocari. Item quia jam continuis temporibus prædictæ Constitutiones sunt observatæ, & per multa Capitula approbatæ, ideo mutari non debent. Item quia si appareat Præpositos & Prælatos Mediolani & Diœcesis Mediolani in aliquo propter dictas Constitutiones fore aliquo honore & prærogativa ornatos, istud evenit quia ipsi Præpositi seu Majores sui fuerint Fundatores aliarum Domorum. Item quia videat dictum Dominum Præsidentem nimis faventem votis & opinionibus aliorum Præpositorum hoc requirentium. Ex quibus omnibus & singulis, & aliis loco & tempore dicendis & allegandis, dicunt & protestantur, ac dixerunt & protestati fuerunt præfatum Reverendum Præsidentem non debere ad dictum scrutinium procedere, nec ipsas Constitutiones mutare: Aliter autem protestantur & protestati fuerunt de gravamine & appellando. Præsente Fratre Dodo de Morano Præposito Sancti Lucæ de Mutina, nomine omnium Præpositorum contrarium opponentium & dicentium, negante prædicta vera esse & fieri debere, cum sint contra bonum publicum totius Ordinis, ac etiam procedente vocis oraculo Constitutiones Ordinis in illa parte dumtaxat in qua providetur, appellationem admitti non debere tanquam frivolam & inanem nullam & nullius valoris; & petente non obstantibus prædictis, ad ulteriora procedendum esse, ac protestante ex nunc prout ex tunc, actum aliquem legitimum non intendere facere in Capitulo alicujus valoris, nisi prius super his habita fuerit vera cognitio veritatis

cum

cum sententia; & nihilominus in omnibus petitis & dictis petente, & petiit nominibus prædictis justitiam ministrari de ipsius factis & fiendis, protestando, subjiciendo semper se Domino Præposito & Præsidentibus suis, & ipsos etiam Judices suos veros acceptando. Datis autem granis fabarum albis & nigris, videlicet unicuique dictorum Præpositorum uno albo & uno nigro, & per ipsos ad jussum dicti Domini Præsidentis acceptis, excepto illo de Vicoboldono, & replicato iterum partito per præfatum Reverendum Patrem & Dominum Præsidentem Apostolicum antedictum, ad claram intelligentiam omnium dictorum Præpositorum, & ipsis postea sub secreto collectis granis, reperta fuerunt grana nigra quinquaginta octo, alba vero decem & novem. Quibus omnibus visis præfatus Reverendus Pater & Dominus Præsides antedictus, viso quod major pars dictorum Præpositorum devotionem habuerunt & habent, quod ab amodo in antea Generalis Magistri dicti Ordinis electio fiat per Præpositos omnes dicti Ordinis, & non per vigintiquatuor. Volens igitur illorum devotioni annuere, invocato nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis Gloriosæ, & omnium Sanctorum Curiæ Cœlestis, pro tribunali sedens in dicto loco auctoritate Apostolica qua fungitur in hac parte, & omni alio modo meliori via, jure, forma, & causa, quibus melius potuit & potest, pronuntiavit, declaravit, & reformavit, ac reformando auctoritate prædicta edixit, electionem Generalis Magistri prædicti Ordinis fieri debere per Præpositos universos dicti Ordinis, seu per majorem partem eorum collegialiter congregatorum, & quod electio facta per majorem partem ipsorum Præpositorum sic collegialiter congregatorum de dicto Generali Magistro valeat & teneat tamquam si omnes dicti Præpositi pariter consensissent, & ab omnibus ipsis Præpositis dicti Ordinis facta fuisset & foret: non obstante Constitutione antiqua dicti Ordinis, videlicet quod electio Generalis Magistri dicti Ordinis fieri debeat per viginti-

qua-

quatuor Præpositos in ipsis Constitutionibus declaratos & expressos. Quam quidem Constitutionem de electione Generalis Magistri per vigintiquatuor expressos facienda, auctoritate Apostolica prædicta, & omni alio meliori modo, via, jure, forma, & causa quibus melius potuit & potest, cassavit, revocavit, irritavit, & annullavit omni & qualibet parte sui, & pro cassa, irrita & cancellata ab amodo in antea haberi voluit & mandavit: præsentibus Venerabili Fratre Joanne Præposito Domus de Vicoboldono, & pluribus aliis Præpositis dicti Ordinis ad minus viginti vel circa, non consentientibus, & replicantibus, dicentibus, & protestantibus, ut supra in dicta sua Scriptura continetur; & præsentibus etiam pluribus aliis Præpositis ejusdem Ordinis illis adversantibus & contradicentibus ut supra in majori numero & quantitate, videlicet quinquaginta octo dicentium & replicantium ut supra in scripturis Fratris Dodi. Mandans mandavit Reverendus Dominus Præsidens mihi Notario infrascripto, ut de præmissis, ad æternam rei memoriam publicum conficiam Instrumentum.

Acta & celebrata fuerunt omnia suprascripta ut supra Anno millesimo dicto, die, & loco, & præsentibus testibus infrascriptis, videlicet Venerabili Fratre Francisco de Vincentia Professo Monasterii Sanctæ Mariæ de Credario, Fratre Petro de Florentia Ordinis Humiliatorum, Petro Antonio filio alterius Petri de Artio, & Petro quondam Joannis de Varolis de Caravagio, testibus adhibitis, & ad præmissa omnia rogatis.

Ego Bartholomæus filius quondam Magistri Albertini de Navis de Capriana Cirugici, publicus Imperiali Auctoritate Notarius, & Civis Mantuæ, ac Notarius & Scriba Reverendi Capituli praelibati prædictis omnibus & singulis, dum sic agerentur & fierent, præsens fui; eaque omnia vidi & audivi, & rogatus, ac etiam de mandato præfati Reverendi Patris & Domini, Domini Præsidentis Apostolici prælibati, publice scripsi cum meis signo & nomine consuetis in testimonium præmissorum.

De

De potestate Definitorum, & quod non possit extra Ordinem appellari.
Cap. VIII.

NOs Frater Stephanus de Arsago, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Generalis Magister totius Ordinis Humiliatorum; Frater Simon Præpositus Domus Portæ Orientalis Mediolani, Vicarius Generalis, Frater Joannes Præpositus Domus de Vicoboldono, Frater Stephanus Præpositus Domus de Gambara, Vicarius Generalis, Frater Andreas Præpositus Domus de Florentia Vicarius Generalis, Frater Philippus Præpositus Domus Omnium Sanctorum de la Vinea de Laude, Frater Jacobinus Præpositus Domus de Marliano; Frater Antonius Præpositus Domus Sancti Kalimeri, Frater Philippus Præpositus Domus Canonicæ Novæ, Frater Nicolinus Præpositus Domus de Mirasole, Frater Andræas Præpositus Domus Sancti Abundii Cremonæ; Frater Philippus Præpositus Domus Sancti Christophori de Venetiis, Frater Ruffinus Præpositus Domus Sanctæ Trinitatis de Aviliana; Frater Dodus Præpositus Domus Sancti Lucæ de Mutina, & Frater Antonius Præpositus Domus Sancti Martini Cremæ Definitores Capituli Generalis, de consensu totius Capituli in Civitate Mantuæ congregati, Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto die vigesimo quarto Octobris, attendentes quod appellationes & litigia, quæ extra Ordinem factæ fuerunt, grave Animarum periculum, & Domorum nostrarum consumptionem attulerunt; volentes Animarum saluti consulere, pariterque laboribus & expensis parcere, nec non Subditorum gravaminibus obviare; tenore præsentium statuimus, definimus, & ordinamus, Definitores electos in Capitulo Generali & eligendos in Officio suo perdurare usque ad aliud Capitulum Generale sequens & deinde donec revocentur, & potestatem habere plenariam in dicto Ordine cognoscendi, decidendi, statuendi, sententiandi, mulctandi, condemnandi, absolvendi, liberandi, & dispensandi, & tam

de

de jure quam de facto procedendi contra omnes Fratres Præpositos & Prelatos, & etiam Magistrum Generalem dicti Ordinis usque ad privationem inclusive, & quod a duabus partibus ipsorum Definitorum fuerit definitum, roboris teneat firmitatem, & ab eis appellari non possit quoquo modo. Adjicientes semper & omni tempore quod Ordinis nostri Subditus, qui se aggravatum a Præposito vel Prælato putaverit, & alias de jure conqueri vel appellare potuerit, libere possit & valeat Generalem Magistrum & Visitatores illius Provinciæ per querelam sive appellationem adire, & ipsi teneantur & debeant illud gravamen relevare, & gravantem punire: & injuste appellantem seu querelantem puniant & remittant ad eum, a quo appellavit vel querelavit. Si vero Præpositus vel Prælatus fuerit, sive etiam Subditus, qui se gravatum a Magistro & Definitoribus vel a Magistro, solum autem in eo præsentaverit, & alias juste conqueri vel appellare potuerit ut supra, libere possit & valeat Definitores in illis partibus deputatos querelans adire, & ipsi teneantur & debeant illud gravamen relevare ut supra, & justitiam facere, sententiare, & revocare gravamen; & quod per duas partes factum fuerit, roboris obtineat firmitatem. Si vero aliquis a parte Definitorum etiam cum Magistro Generali, sive aliquis gravatus extiterit Præpositus vel Prælatus vel Subditus, libere possit & debeat ad alios Definitores appellare vel querelari; & ipsi teneantur justitiam facere, & gravamen relevare. Et si ad omnes Definitores appellaverit, & definitum fuerit, ulterius non possit appellare. Volumus insuper, quod prædicti Definitores, ad quos causa fuerit delata, procedant secundum Deum & justitiam & æqnitatem, semper oculis præferendo & summarie procedendo. Et hæc omnia, sive pars querelans sive appellans appellaverit in termino juris, sive non. Et pro prædictis omnibus & singulis exequendis possint dicti Definitores Brachii Sæcularis implorare auxilium. Contrafacientes vero si Fratres fuerint, eo ipso omnibus actibus legitimis & voce Ca-

 pituli

pituli sint privati; si Prælati vel Præpositi sint, eo ipso sint a Prælatura aut Præpositura privati, ad ipsas neque ad alias reversuri; si sit Generalis, eo ipso sit privatus Generalatu, ad ipsum nunquam reversurus.

Qualiter omnes de Capitulo professi sunt vivere secundum Regulam Beati Benedicti. Cap. IX.

ITem definimus, & ordinamus, quod omnes tam primi quam secundi Ordinis nostri vivamus & gubernemur sub titulo & Regula Almi Patris nostri Benedicti, quæ incipit: *Ausculta o Fili præcepta Magistri*; rejecta illa quæ incipit: *Omnis boni principium est Deus.*

Qui & qualiter omnes de Capitulo protestati sunt velle regulariter vivere. Cap. X.

ITem ordinamus, & statuimus, annuentibus etiam votis universis Generalis Capituli, Oraculo plenæ vocis dicentibus ac profitentibus, quod secundum Deum & Sacra Ordinis instituta omnes Ordinis nostri Religiosi professi vivamus, & vita laudabili & regulari melius reformemur.

De gestatione Habitus nostri, & in primis de Biretis. Cap. XI.

ITem cum scriptum sit, quod incompositio corporis qualitatem indicet mentis, & lascivia corporis lasciviam indicat mentis; cum sint nonnulli Ordinis nostri Religiosi qui lasciviis gaudentes, lascivum etiam habitum portare delectentur, ordinavimus, & ordinamus, quod nullus de Ordine nostro portet bireta ab acu consuta, nisi sint Doctores & Sacræ Paginæ Magistri. Quæ tamen bireta Doctorum & Magistrorum sint rotunda, & desuper nullatenus dilatata nec ornata.

De

De Scapularibus. Cap. XII.

ITem quod nullus præſumat portare ſcapularia magna, ſed honeſta; ſine quibus nemo præſumat nec in Clauſtro neque extra Clauſtrum nec in Eccleſia nec in Domo, neque extra Domum converſari nec ambulare, videlicet in locis publicis.

De Mantello. Cap. XIII.

ITem cum ſint nonnulli, qui mantellum portant ad latera ſciſſum ſub Epiſcopali portatu, contra habitum Ordinis noſtri: quod nullus præſumat ipſum portare mantellum ſciſſum ut ſupra, niſi equitando, & alia neceſſitate honeſta deductus. Quod quidem mantellum fiat ſub honeſta forma & pretio honeſto.

De pellandis. Cap. XIV.

ITem quod nemo præſumat portare pellandas de novo fiendas, ſed tunicas cum manicis ſtrictis, & qui habent de præſenti, ipſas reforment.

De corrigiis & cultellis. Cap. XV.

ITem quod nemo præſumat portare corrigias de ſerico contextas, munitas, ſeu non munitas, nec cultellos cum verretis argenteis.

De diploide. Cap. XVI.

ITem quod nemo præſumat portare diploidem nimis brevem, ſed honeſtum, cum alludis ab extra (2).

De Caligis. Cap. XVII.

ITem quod nemo præſumat portare caligas niſi alibi coloris.

(2) De Diploide diximus ſupra pag. 148. Alludas vero eaſdem eſſe arbitror ac alutas quod eſt pellis genus.

De subtularibus. Cap. XVIII.

ITem quod nemo præsumat portare subtulares mere albos sed unctos aliqualiter, non pelosos, non laqueatos chordis, nec buttinas cum rampinellis, non planulas sed zubras. Si quis autem contra prædicta attentare præsumpserit, puniatur arbitrio Superioris mediati vel immediati.

De non portandis armis. Cap. XIX.

ITem quod nullus præsumat portare arma inhonesta de subtus pannos apparentia, eadem pœna plectendus.

Quod nemo solus vadat per Civitates. Cap. XX.

ITem quod nullus præsumat solus ambulare per Civitates, Castra & Loca venerabilia (& hoc intelligatur de habitatoribus locorum & domiciliis eorum) sine comite. Si possibile est, de eadem professione & habitu sit & Religione: suprascripta pœna plectendus.

De abstinentia & observatione jejuniorum. Cap. XXI.

ITem cum crapula & ebrietas non solum mentis exilium, sed libidinis inducat incentivum; & cum utpote tota Religio nostra cum pleno Refectorio (*locus corruptus*) propter inordinamenta diutius subsecuta, & propter præsidentiam tyrannici regiminis, & ex non celebratione Capituli Generalis, Ordinis dissolutio subsecuta fuerit; ordinavimus & ordinamus, quod ab Idibus Septembris usque ad Pascha omni quarta & sexta feria jejunent. Liceat tamen jejunantibus quarta feria ova & lacticinia sumere, nisi in Adventu Domini & Rogationibus. Item hortamur & monemus, quod secunda feria non sumant carnes. Omni autem tempore etiam Paschali sexta feria jejunent. Contrafacientes puniantur ut in Rubrica de gravi culpa. Possit tamen ex causa dispensari.

De

De silentio. Cap. XXII.

ITem silentium observetur, ut in Regula & in Constitutionibus continetur, & præcipue in Choro & Refectorio.

De celebratione Divinorum. Cap. XXIII.

CUm propter Officium detur Beneficium, vociferante etiam Psalmista: *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris;* & iterum: *Septies in die laudem dixi tibi;* statuimus & ordinamus, quod in Conventibus ordinariis & principalibus; videlicet Mediolani in Conventibus de Vicoboldono, Braydæ, de Mirasole, Sancti Kalimeri, Sancti Spiritus, Portæ Orientalis, Sanctæ Trinitatis, in Conventibus de Rondenario, & Vico Cumarum, Sanctorum Simonis & Judæ Novariensi, Sancti Christophori Vercellensi, Sancti Marci de Clavasio, Sanctæ Trinitatis de Aviliana, Sancti Laurentii de Pinarolo, Sancti Joannis de Capucio, Sancti Baudolini de Alexandria, Sanctæ Marthæ de Janua, Sancti Michaelis de Parma, Sancti Abundii de Cremona, Omnium Sanctorum & Sancti Christophori de Laude, in Conventibus Domus de Gambara, Sancti Lucæ de Contignaga, de Palazolo Brixiensis, Domus de la Glarea & Sancti Christophori Veronæ, Sancti Christophori de Venetiis, Domus de Galgari, & Domus communis de Pergamo, Domus Sancti Michaelis & Sanctæ Agathæ de Modoetia, Omnium Sanctorum de Florentia, Sancti Thomæ de Senis, Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pistorio, Sanctæ Mariæ de Ciguli, nocturna & diurna cantari Officia, & generaliter in omnibus aliis Conventibus, in quibus sint quatuor Fratres; Volentes autem & decernentes, juxta proprium Institutum, Divinum Officium in nostro Ordine celebrari, aggravantes conscientias Generalis Magistri, & Diffinitorum & Visitatorum, qui omnem adhibeant cautelam & diligentiam, ut Officia Divina celebrentur, contrafacientes puniendo secundum

exi-

exigentiam culparum. Contra autem Rebelles procedi possit usque ad privationem, si fuerint Præpositi; si vero Fratres, procedatur ad privationem vocis in Capitulo.

Contra impetrantes Præposituras vel Prælaturas in Curia Romana. Cap. XXIV.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nullus de Ordine vel quivis alius in futurum audeat vel præsumat sine licentia Magistri Generalis & Definitorum impetrare Præposituram vel Prælaturam in Curia Romana. Contrafacientes autem ipso facto sint excommunicati, & ipsa Præpositura vel Prælatura sint privati, ulterius ad aliam Præposituram vel Prælaturam non admittendi; & pro rebellibus Ordinis habeantur, nec computentur in numero habentium voces in Capitulo Generali. Promittentes insuper ipsi Magister Generalis & Definitores, quod præsentem reformationem facient in Capitulo inviolabiliter observari. Si vero Generalis Magister, Præpositus vel Prælatus aut Frater de nostro Ordine, seu quivis alius cujuscumque status, conditionis, & præeminentiæ fuerit, impetraverit seu impetrari curaverit Magisteriatum seu Generalatum dicti Ordinis ab alio quam a Capitulo Generali, tunc & eo casu dictæ Litteræ sint nullæ ipso jure & facto, & ipsa Præpositura vel Prælatura, si quam habet, privatus sit, nec ulterius ad ipsam assumendus, & per omnia tanquam Rebellis habeatur & judicetur ab Ordine.

De supplendo numero Clericorum. Cap. XXV.

ITem affectuose cupientes, quantum cum Deo possumus, Divinum Cultum augeri & numerum Clericorum in Ordine nostro augmentari, qui maxime sunt diminuti, aggravamus conscientiam Generalis Magistri & Visitatorum, quatenus unaquæque Domus secundum facultates suas suppleat numerum Clericorum, dantes plenariam licentiam Generali Magistro ac Visitatoribus,

qua-

quatenus cogant & impellant contrafacientes arbitraria & digna pœna.

Contra impetrantes Brachia Sæcularia. Cap. XXVI.

ITem cum quidam abusus & abortiva prava materies in detrimentum & præjudicium ipsius Ordinis ita insurrexerit, quod unusquisque tam Præpositus quam Frater pro quacumque minima causa impetret Brachia Sæcularia, definimus & ordinamus, quod nemo Præpositus vel Prælatus vel Frater audeat vel præsumat impetrare Brachia Sæcularia pro obtinendo Beneficium Ordinis in præjudicium Ordinis ipsius; adjicientes, quod Dominus Magister non possit nec debeat Præposituram vel Prælaturam alicui de Ordine nostro vel alteri Personæ conferre ad petitionem seu requisitionem alicujus Personæ sæcularis: Et si secus factum fuerit, talis collatio sive investitura sit nulla ipso jure & facto. Ad quam observationem dictus Magister teneatur vigore præstiti juramenti, nisi fiat ei præceptum vel violentia per Dominos temporales & Dominia, quibus toto posse obviabit.

Visitandis deferri possit juramentum. Cap. XXVII.

ITem definimus & ordinamus, quod Dominus Magister Generalis & Visitatores præsentes & futuri, in visitationibus fiendis possint visitandis deferre juramentum, si qualitas facti exegerit.

De distributione Officiorum in unoquoque Conventu. Cap. XXVIII.

ITem definimus & ordinamus, quod Præpositi habentes Conventum Fratrum distribuant Officia Domus in spiritualibus & temporalibus inter ipsos Fratres secundum exigentiam Officiorum.

De

De Fratribus ad Ordinem revocandis. Cap. XXIX.

ITem definimus & ordinamus, quod omnes Fratres existentes extra Ordinem cum vel sine habitu revocentur ad Ordinem secundum directionem Domini Magistri & Visitatorum: omnibus autem discolis & perversis tanquam membris putridis Religionis habitus auferatur.

Fratres Conventuales & non Professi vocem habeant in Capitulo Conventus, at non in electione Præpositi. Cap. XXX.

ITem definimus & ordinamus, quod singuli Fratres missi ad Conventus Ordinis necessitate inducente ipsorum Conventuum ad quos mittuntur, habeant vocem in Capitulo talium Conventuum, nisi in electione Præpositi, exceptis illis qui gratia correctionis, vel studii commoditate mittuntur.

De provisionibus dandis servetur consuetudo Domus. Cap. XXXI.

ITem definimus & ordinamus, quod de provisionibus dandis Fratribus servetur consuetudo Locorum.

Nullus celebret vel officietur extra Monasteria Ordinis. Cap. XXXII.

ITem definimus & ordinamus, quod nullus Præpositus vel Frater extra Monasteria Ordinis celebrare vel officiari possit, nisi ex causa honesta & legitima.

De quadam Unione alias facta Monasterio de Zeno. Cap. XXXIII.

ITem definimus & ordinamus, quod Domus de Rive alias per Ordinem unita Domui de Zeno, & dissoluta & alteri collata per Dominum Joannem de Vicecomitibus olim Administratorem, de facto restituatur dictæ Domui de Zeno sine ulla contradictione; & ex nunc prout ex tunc declaramus dictam Domum de Rive rediisse & redire debere ad dictam Domum de Zeno, & tenore præsentium assignamus eidem. *He*

Hæ Constitutiones tantumdem valeant, quantum si per tria Capitula Generalia fuissent approbatæ. Cap. XXXIV.

ITem statuimus, definimus, & ordinamus, quod dictæ Constitutiones ponantur, & registrentur in nostris Constitutionibus post Senenses; volentes prædicta habere vigorem & roboris firmitatem, ac si fuissent per tria Capitula Generalia approbata.

De Capitulo Generali proxime celebrando. Cap. XXXV.

VIsitatores Provinciæ Mediolani, in Civitate Janua, Dominus Præpositus de la Vinea Laudæ, Dominus Præpositus Sancti Kalimeri: Visitatores terrarum Illustrium Dominorum Venetorum, Marchionum, & Romandiolæ Dominus Præpositus de Gambara, Dominus Præpositus de la Glarea Veronæ. Visitatores in partibus Tusciæ Dominus Præpositus de Florentia Vicarius Generalis, Dominus Præpositus de Ciguli; Visitatores in partibus Pedemontium & Montisferrati, Dominus Præpositus de Aviliana, Dominus Præpositus de Pinarolo: Procurator in Curia Romana Dominus Præpositus Mutinensis, Caneparius Ordinis Dominus Præpositus de Marliano Mediolani: Demum elegerunt, deliberaverunt, & declaraverunt, Capitulum Generale debere celebrari prima die Maji millesimi quadringentesimi trigesimi octavi in loco Avilianæ, in Domo Sanctæ Trinitatis dicti Ordinis; & hoc si & in quantum possit illuc tunc tutus aditus adhiberi, & locus fuerit sanus. Prædictis vero, aut eorum altero resistente, Generalis Magister cum deliberatione Definitorum, quorum præsentiam habere potuerit, apte eligat & eligere possit, teneatur, & debeat alium locum tutum, sanum, & liberum; in quo dictum Capitulum tunc celebretur, & celebrari possit & debeat.

De promulgatione praecedentium Capituli hujus Constitutionum attestatio Notarii. Cap. XXXVI.

LEctæ & publicatæ fuerunt Constitutiones supraſcriptæ per me Bartholomæum de Navis Notarium Mantuanum, ac Notarium & Scribam præfati Reverendi Patris & Domini, Domini Fratris Stephani de Arzago Generalis Magiſtri toțius dicti Ordinis & Dominorum Definitorum ſuperius expreſſatorum in loco dicto Capitulo, ſito in Monaſterio Sanctæ Mariæ de Credario Ordinis Sancti Marci de Mantua, pro tribunali ſedentium in celebratione dicti Capituli Generalis, & in præſentia etiam totius dicti Capituli, & univerſorum Præpoſitorum illud Capitulum procelebrantium, aſſentientium, & ipſorum nemine contradicente, niſi in quantum eſt ratione electionis Generalis Magiſtri, ut in loco ſuo ſcriptum eſt, dumtaxat. In quorum omnium præſentia præfatus Dominus Generalis Magiſter juravit in manibus præfatorum Dominorum Definitorum, corporaliter tactis ſcripturis; & in virtute illius jurisjurandi promiſit attendere & obſervare omnia & ſingula, ac in omnibus & per omnia, ſecundum ſeriem ac tenorem ſupraſcripti præfati juramenti in forma ſuperius expreſſata: Currentibus annis a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione quatradecima, die vero Mercurii vigeſimo quarto menſis Octobris: Præſentibus Venerabili Fratre Franciſco de Cereſolis Priore Monaſterii prædicti Sanctæ Mariæ de Credario, Fratre Jacobo de Vincentia, & Fratre Franciſco de Vincentia Conventualibus dicti Monaſterii; teſtibus adhibitis, & ad præmiſſa omnia rogatis. Rogantes & rogaverunt dictus Generalis Magiſter, Domini Definitores, & etiam dictum totum Capitulum me Bartholomæum de Navis Notarium ſubnotatum, ut de prædicta publicatione prædictarum Conſtitutionum, Ordinationum & omnium ſupraſcriptorum publicum conficiam Documentum ad perpetuam rei memoriam, & fidem indubitatam om-

omnium ac singulorum præmissorum. Ego Bartholomæus filius quondam Magistri Albertini de Navis de Capriana Cirugici, publicus Imperiali Auctoritate Notarius, & Civis Mantuanus, ac Notarius & Scriba præfati Reverendi Capituli, per suprascriptos Reverendum Generalem Magistrum & Definitores electus & deputatus, prædictis omnibus & singulis, dum sic agerentur & fierent, præsens fui, eaque omnia vidi, legi, & intellexi: & in testimonium præmissorum de ipsis omnibus rogatus scripsi, & me subscripsi cum meis signo & nomine consuetis.



JOANNIS BRAIDENSIS
CHRONICON ORDINIS HUMILIATORUM

PRÆFATIO.

De hoc Humiliatorum Chronico omnium, quotquot supersunt, antiquissimo, deque ejus auctore Joanne Braidensi Humiliato, satis jam diximus tum in Præfatione Volumini I. præfixa, tum eodem Vol. I. pag. 285., ubi de Humiliatis Scriptoribus sermo fuit. De duobus aliis Humiliatorum Chronicis, quorum alterum an. 1421., alterum an. 1493. conscriptum, in eadem Præfatione disseruimus. Puricellius sæpissime nobis in hoc opere commemoratus in MS. Præfatione, quam Chronico an. 1421. præmisit, animadvertit videri quidem unum eumdemque esse tum prioris an. 1419., tum posterioris an. 1421. Chronici auctorem; revera tamen distinguendum esse; quod ille tum ex stili discrimine probare contendit; illud enim, quamvis non satis culto, non tamen horrido omnino incultoque illo sermone, quo posterius, digestum est; tum ex ipsa narrationis serie, quæ interdum non eadem est in utroque Chronico, atque in nonnullis etiam omnino discrepat. Hac tamen in re a Cl. viri sententia recedere cogor. Nam Chronici posterioris auctor aperte testatur se aliud fusius Chronicon an. 1419. conscripsisse: ita enim habet ad Chronici calcem: Et hæc & prænarrata emulsiata fuere a Chronica anno D. 1419. per dictantem compilata. *Quibus verbis satis ostendit, fusius se Chronicon an. 1419. scripsisse, ex quo postea brevius hoc an. 1421. excerpserit. Quod autem Chronicorum stilus, & narrationis series non satis consentiant, non est cur miremur: ut enim Puricellius ipse animadvertit, & ex ipso antiquiori Chronico patet, Chronicon hoc ipsum a Georgio Lurasco circa an. 1524. interpolatum auctumque fuit; ut proinde verisimillimum sit & historiæ seriem interdum, & ipsam stili ruditatem a Lurasco emendatam fuisse. Hæc habuimus, quæ de hujus Chronici auctore proferremus. Ceterum hoc unice Chronicon a nobis edendum censuimus, tum quod omnium antiquissimum est, tum quod Humiliatorum historiam fusius quam in aliis Chronicis hic expositam habemus. Ad annotationes quod attinet, quæ ad Humiliatorum historiam pertinent, illustrari non oportere statuimus; cum omnia in Dissertationibus nostris satis jam enucleata fuerint. Itaque in iis tantum immorabimur, ex quibus Medii Ævi historiæ lux aliqua affundatur.*

CHRONICA
ORDINIS HUMILIATORUM

Compilata de anno 1419.

EX privilegiis, & scripturis Ordinis Humiliatorum colligitur, quod ordo habuit, & habet tria Sancta Membra nata per temporis intervalla. Tres quoque reperitur habuisse ætates, sed tertia adhuc viget. In prima Ordo Humiliatorum principium habuit, & augmentum. In secunda a Sede Apostolica approbatus, & privilegiatus fuit: In tertia sub unius Rectoris regimine reductus, & ab Ordinariis exemptuatus fuit.

Principium, & origo Ordinis fuit a nonnullis Longobardis in exilium in Alemania missis, & principium habuit de anno 1017.

A qua origine tres Fratrum species cum suis Monialibus sub nomine Humiliatorum esse cæperunt: & quæ tam respectu personarum, quam nominum, & tam habitus, quam nobilitatis sunt discretæ, & distinctæ, ut infra.

Secunda ætas fuit, in qua Innocentius tertius regulam Ordinis approbavit de anno 1201. secundo Idus Junii, sub qua Fratres, & Sorores secundi, & tertii membri habent cum Deo militare, & incipit: *Omnis boni principium*. Et postea in multis Ordo fuit privilegiatus ab eodem Innocentio tertio.

Tertia fuit ætas, in qua Magistrum Generalem Ordinis confirmavit: & qui electus fuit per prædicta tria membra anno Domini 1246. 3. Id. Octobris, & postmodum fuit Ordo a Dioecesanis Episcopis exemptuatus.

Et ab inde salvo a viginti annis citra Magister Ordinis ab Ordine eligebatur; sed a certis annis citra de facto impedita est electio. Qui in causa fuit, a justo Judice judicabitur, qui nec verbis,

nec

nec donis flectitur, apud quem plus valent pura corda, quam assuta verba, & conscientia bona, quam marsupia plena (1).

Ubi, & qualis fuit origo Ordinis Humiliatorum. Cap. I.

1017. PRincipium, & origo fuit Ordinis Humiliatorum tempore Henrici secundi Imperatoris (2), qui in Lombardiam venit, & suspectos habens multos nobiles Lombardos maxime Mediolanenses, & Comenses; quos ne contra Imperium machinarentur in Alemania misit in exilium de anno 1017.

Post aliquod tempus gratia Spiritus Sancti inflammati prædicti Nobiles Deo servire cum humilitate promiserunt, & omnem Mundi pompam deponere, cogitantes sine humilitate ad cœlos ascendere non posse.

De primo Habitu Humiliatorum devote suscepto. Cap. II.

TUnc ipsi Exules omni deposita mora veterem exuentes hominem pretiosa deponunt vestimenta, & induunt vestimenta beretina (ut faciunt morantes nunc Papiæ), & ad colloquium conveniunt, statuuntque, si Dei auxilio in Patriam revertantur, in concepta devotione perseveraturos.

Cum hoc Imperator sensisset, ad se cum habitu sumpto illos vocat, & admirans inquit: Accedite Carissimi Humiliati: En religioni dediti estis ut monstrat habitus vester? Cui responderunt: sicut vides, Imperator. Et tunc Patriam concessit.

De Incremento Ordinis Humiliatorum. Cap. III.

1019. REversi qui fuerant Exules quilibet in domo sua familiam suam induxit in eandem devotionem, Uxoribus reddendo debitum; Et ne in otio essent Mercatores, & lanæ labo-

(1) Vide quæ in hanc rem diximus Vol. I pag. 125. &c.

(2) Qui alio nomine primus dicitur. V. Vol. I. pag. 9.

boratores constituerunt, ut a successoribus cognoscere potui: & sicut pisces, ita isti tam in Lombardia, quam extra multiplicarunt; licet non reperiatur quantæ fuerint eorum domus. Sed Mediolani, & in ejus Urbis Suburbiis, ac in Mediolanensi Diœcesi constructa fuerunt centum triginta novem Fratrum Cœnobia, & septuaginta mulierum religiosarum de filiis, & abiaticis suis spiritualibus, scilicet de secundo, & tertio membro Ordinis, ab annis centum viginti retro. Et de præsenti sunt nisi triginta tres domus Fratrum, & viginti Monialium. Unde sunt defalcatæ centum sexaginta sex domus (*leg.* quinquaginta sex). Et dicti qui fuerant Exules, ex illis fuerunt, qui nunc dicuntur Fratres tertii Ordinis, qui modo pauci sunt.

De primo Membro, quo dicitur Minister, & de eorum Comitiis. Cap. IV.

SIc in Urbibus, & Terris separatis, ut est Modoetia a Mediolano, ubi dicti Fratres commorabantur, ordinaverunt, ut unus esset Minister in qualibet Urbe, & Terra, qui sic etiam hodie nominatur: Et unus locus ad colloquendum, qui Parlatorium appellatur, sub vocabulo Humiliatorum. In quo loco ex Ministri jussu Fratres conveniebant: ibique de Ordinis incremento tractabatur, & de animarum suarum salute. Sed de præsenti in desuetudinem eorum Comitia abierunt.

De secundo Membro, quod dicitur secundus Ordo, & de ejus Habitu. Cap. V.

1034. CRescente fama, & devotione primi membri Fratrum, & personis multiplicatis multi perpetuam Domino castitatem promiserunt, invicem se a thoro conjugali separantes. Et sicut omnis novus Ordo per se habitum assumit, ita similem illi habitum assumpserunt, quo utuntur Fratres de Varisio, qui habitus principium a me habuit post berettini dimissionem, & usi-

usitatus fuit quousque titulus ei mutatus fuit, ut de Prælato in Præpositum, per Fratres Braidæ: videlicet Tunica, & Honesta alba sine Capuccio. Sed extra Claustrum portabant Mantellum, seu Manteleffam, quæ dicitur Gabanum, non sciffum ante, sed habet duo foramina pro trahendo brachia foris: & in capite Birettum album deferebant; Ideo dicebantur Fratres Baretiani. Et secundus habitus principium habuit quampluribus annis ante adventum B. Joannis Presbiteri, qui initium dedit tertio membro Ordinis, & his habitus dabatur talis, qui in eorum domibus aggregari volebant, & ad lanæ exercitium cum aliis inducebantur.

De religiosis mulieribus, & earum habitu: Et de titulo, quo dicitur Ministra. Cap. VI.

MUlieres maritis consentientes volentes in castitate perseverare, ut Monachas albas, se guandarinis ligaverunt, & velis albis velaverunt, & tunicis cum Honestis (ut Humiliatæ de Blassono Mediolani) utuntur. Et multæ aliæ de Ordine a viris suis inductæ fuerunt: & clausæ in debitis Monasteriorum clausuris, & separatæ a Fratribus; nec inde exibant nisi urgente causa: & unam Dominam super alias, scilicet Ministram constituunt, quæ Prælato erat subjecta. In illis quoque Clausuris aliæ mulieres, quæ mundum renunciabant, permittebantur intrare: & aliæ per se Cœnobia a Fratribus separata faciebant, ut Matronæ Monasterii de Blassono, & aliæ in pluribus partibus.

De titulo secundi Membri, quo dicitur Prælatus, & de Oratoriis, & sicuti effecti sunt Clerici. Cap. VII.

1040. AT Fratres secundi membri post habitum assumptum constituerunt in sua mansione, seu Cœnobio unum, qui Prælatus vocabatur, qui usque hodie a primo Magister in aliquibus Domibus vocatus est: sub quadam tamen observatione religiosam vitam degebant. Insuper in suis Cœnobiis Oratoria construxerunt, & ibi

& ibi a Capellanis fuis celebrabatur; ficut Fratres laudes Deo referebant, Pfalterium pfallendo: & qui litteras ignorabant, dominicam orationem dicebant, & fic perfeveraverunt ufque ad fufceptionem Regulæ Innocentii Papæ tertii, non recedendo horis debitis ab lanæ exercitio, a quo poft fufceptam Regulam per magnum tempus non ceffaverunt, attentis nonnullis pactis per me vifis jam pluribus annis elapfis, inter nobilem Corradum Lanceam de Caftro Mainardo militem Magiftrum Portulanum Siciliæ pro parte Sereniffimi Regis Federici tertii, & religiofum Fratrem Danielem de Braida de Ordine Humiliatorum pro parte Magiftri Generalis, & totius Ordinis prædicti (1): videlicet, quod ipfe Frater Daniel nomine quo fupra, debebat ire cum aliquibus ex Fratribus dicti Ordinis, aptis, & numero neceffario, ad exercendum in Civitate Panormi minifterium pannorum de lana: & prænominata Serenitas debebat concedere perpetuo eidem Ordini Palatium Sellariorum, ubi currere confueverat aqua, & expendere in reparatione dicti Pallatii untias ducentas auri, & multa alia; dummodo a tunc inde dicti Fratres irent ad habitandum in Urbe Panormi, pro minifterio pannorum lanæ exercendo &c. ut patet in litteris Sereniffimi Regis, cum figillo fuo fecreto datis Cachiæ (2) anno Domini 1309. die 26. Novembris Indictione octava. Ifti quoque Fratres ab anno Domini 1255. citra effecti funt Clerici pro majori parte, ex induftria Alexandri Papæ quarti, qui hoc in mandatis dedit Magiftro Ordinis, & Præpofito de Vicoboldono, fentiens, quod religiofæ Domus fecundi Ordinis erant dilatatæ, & in numero perfonarum multiplicatæ. Dat. anno 1255. decimo Cal. Aprilis, Pontificatus fui anno fecundo. Et quod privilegium fecundum Martinianum Summorum Pontificum comprehendo datum effe poft obitum Beati Joannis Presbiteri annis nonaginta fex. Quod

(1) V. quæ in hanc rem difputavimus Vol. I. pag. 164. &c.

(2) Legendum videtur *Cataniæ*, ut ibidem diximus.

Quod Fratres secundi Ordinis ante tonsuram psallebant divinum Officium. Cap. VIII.

VErum quando Fratres secundi membri, scilicet Fratres de Prælatis, Regulam Innocentii tertii acceperunt, quæ per Fratrem Jacobum de Rondenario, & Lafrancum de Laude Præpositos portata fuit pro secundo, & tertio membro, ut habetur infra, ipsi devote, qui litteras sciebant, licet non essent Clerici, psallebant Horas Canonicas juxta regulam: Scilicet media nocte peracta surgebant, & psallebant in oratorio nocturnum, & in aurora Laudes decantabant; Primam vero hora debita psallebant; similiter Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas in suis horis psallebant; in Solis autem occasu Completorium cantabant. Quod quidem Officium illud est, quod in præsentiarum usitatur ab ordine: & quod susceptum fuit per antecessores prædictorum Præpositorum usque a principio, quo habitum ordinis susceperunt. Et licet ipse Innocentius tertius intercepit regulam prædictorum Præpositorum, qua a principio utebantur; nihilominus Officium noluit interrumpere. Ideo ipse dicit in regula *Completorium, sicut & alia Divina Officia secundum ordinem suum decantentur*, scilicet secundum modum jam susceptum. Et quod Officium voluit ipse Innocentius, ut etiam Fratres de Prælatis haberent, licet non essent Clerici. Nam antiquæ catervæ Monachorum tempore SS. PP., qui non erant Clerici, Officium psallebant Divinum, ut de præsenti Mulieres religiosæ Ordinis nostri faciunt. Et ipse Innocentius arbitratus est ipsos Fratres de Prælatis in parte, & etiam Prælatos ipsos esse litteratos, & non Clericos. Patet; cum in regula dixerit, quod illi quinque Pater noster, qui dici debent pro defunctis, & totidem pro familiaribus, & alios quinque pro benefactoribus, ante nocturnum, si Clericus aderat (ut puta Frater Marcus Capellanus Breræ anno Domini 1291.) dicebat capitula, seu preces cum oratione: & si

non

non aderat, singuli per se dicerent. Sed nota quod propter quædam gravia, quæ in regula erant, fuit per Fratres Breræ, qui tunc dicebantur de Guercio, supplicatum Honorio tertio, quod, cum ipsi ex labore manuum suarum vivere disposuerant, & jejunandi, & silentium observandi rigorem tenere interdum absque incommoditate non poterant, qui Honorius prudentiæ Rectoris prædictæ Domus Breræ, & successorum suorum dispensandi tempore laborandi dedit auctoritatem anno Domini 1226. Idibus Decembris, Pontificatus sui anno undecimo.

De ortu tertii Membri, quod propter tonsuram dicitur primus Ordo, & de Habitu suo. Cap. IX.

1119. MUltiplicantibus secundi membri Fratribus absque Clericis, vir quidam nobilis, nomine Presbyter Joannes ex loco Medæ Diocesis Mediolan. affectans ordinis devotionem, quæ miraculose crescebat, inspirante Spiritu Sancto, ipsam augere voluit, & accessit ad Civitatem Cumanam, in loco, qui dicitur Rondenarium: & ibi oratorium construxit cum aliquibus tuguriis: & a se ipso habitum assumpsit illi similem, quo nunc utuntur Fratres Breræ: scilicet tunica per se, & honesta alba, cum Capino consuto; Sed Capinus additus fuit per ipsum Presbyterum Joannem, ut esset differentiatus ab illis, qui non erant Clerici; sed extra Claustrum portabant mantellum album, scissum ante, ut de præsenti usitatur per Fratres Breræ: ibique Fratres, & Mulieres religiosas, ligatas, ac velatas, & inclusas, & alias religiosas ordinis brevi aggregavit tempore, salvo quod addidit Caputium consutum cum Honesta, & velum desuper portabant, ut de præsenti portant Humiliatæ de Monte Ugono, & de Sancto Germano, & certæ aliæ de ordine. Unde iste Presbyter Joannes fuit principium primi membri ordinis, licet sit tertium membrum, quod a tunc inde multiplicatum est.

De antiquitate Ordinis, & præcipue Domus Breræ. Cap. X.

PRædictus Frater Joannes, Presbyter primus, & Prædicator Ordinis Humiliatorum, causa prædicandi Mediolanum veniebat, & apud Fratres Braidæ hospitabatur: quæ Braida principium habuit quampluribus, & pluribus annis ante. Nam anno Domini 1037. (*in marg.* Legendum videtur 1036.) ut visa est, & lecta per me, & aliis de ordine ostensa fuit quædam Copia, facta per Fratrem Gufredum de Crepa, nomine dictæ domus de perticis centum tredecim terræ vidatæ in loco Ronchi Diocef. Mediolan. tradita per Cresibenium de Guidonis Notarium, quinto Januarii anno supradicto, quæ quidem emptio facta fuit ante obitum dicti Joannis Presbyteri annis centum viginti tribus (1).

Hinc notato, quod illi nobiles Cives Mediolanenses, qui a Beato Bernardo, quando Mediolanum venit anno Domini 1135. petierunt formam religiose vivendi, non propter hoc fuerunt principales fundatores tertii Ordinis Humiliatorum, cum narrata monstrent oppositum.

Et per me Fratrem Georgium Luraschum domus Sancti Petri Vicoboldoni Præpositum visum est de anno Domini 1524. quoddam Instrumentum locationis libellariæ factum per Dominam Caracosam Uxorem Jacobi Madii, in quemdam Fratrem Joannem Vassallum, Rectorem, & Ministrum domus Roncharii, dicti ordinis, Diocesis Laudensis: quæ domus fuit unita domui de Vicoboldono: quod Instrumentum rogatum fuit de anno Domini 1056. vigesimo tertio Aprilis Indictione decima quarta per quemdam Avellum de Sarregno notarium in Melegnano: & extractum per quemdam Bonaccursum de Seregno. Hinc constat Sabellicum Auctorem Cronicæ magnæ, seu Theutonicæ errasse dum

(1) De hoc monumento, deque iis omnibus, quæ hoc capite continentur, fuse dissenimus Vol. I. pag. 51. &c.

dum scripsit Ordinem Humiliatorum exordium sumpsisse sub Federico Imperatore cognomento Barbarossa, qui imperare cæpit anno Domini 1153., & imperavit annis triginta tribus. Sic ex illis Instrumentis patet hunc ordinem ante ipsum Federicum principium habuisse.

De Angelo apparente presbytero Joanni, & de pecunia sibi data, & de miraculo pecuniarum. Cap. XI.

DUm Beatus presbyter Joannes Mediolanum veniret, causa quærendi victualia, occurrit ei Angelus in forma Juvenis, & quo tenderet petiit, & itineris causam. Cui postea Angelus tantam pecuniam dedit, ut conventui potuerit abundanter alimenta præstare: & statim evanuit. Et ex ea moneta adhuc reperitur, ut relatum est a fide digno qui dixit, se vidisse, & tetigisse de dictis denariis. Ex quo denario annis præteritis tale factum est miraculum. Quidam tempore Saccomanni in proprio Cænobio dictum denarium rapuit: quod Saccomannum factum fuit per Dominum Pandulfum Malatestam anno 1403. circa finem anni (1), quem denarium cum Uxor raptoris vellet cum Coralibus infilzare, fabro, ut foramen faceret, attulit; sed faber non potuit, ut relatum est mihi.

De obitu Beati Joannis presbyteri, & de miraculo Cæcæ, & de miraculo Olei facto ante ejus obitum. Cap. XII.

BEatus Joannes presbyter altera vice Mediolanum reversus in domo Braidæ decessit anno Domini 1159. sexto Calendas Octobris: & honorifice portatus fuit per Cumenses ad proprium ora-

(1) Hanc Novocomensis urbis direptionem, quæ die XI. Nov. an. 1403. contigit, memorant passim Historici Novocomenses; V. præ ceteris Tattum *Annali Sacri di Como Dec. III. pag.* 180., ubi hunc ipsum B. Joannis denarium commemorat.

oratorium: & de cruore, qui exibat ex ejus ore, sanata fuit quædam Cumana puella a caligine oculorum. Et legitur plura miracula ante obitum fecisse. Inter cætera, quædam Vidua paupercula ad fores Monasterii viri Dei, ut ei subveniret, petebat olei parum. Ipse Cellerarium advocans, ut oleum abundanter daret Viduæ, jussit. Cui cum diceret non esse oleum, cum evacuatum fuisset olei vas supervenientibus hospitibus, tunc Sanctus dixit, Pax tecum: vade; quia invenies vas plenum oleo, quod vacuum dimisisti. Et sic reperit: Et præ gaudio ad fores Cœnobii egentis Viduæ de olei pinguedine inediam sublevavit.

De titulo tertii Membri, quo dicitur Præpositus, & de Lanæ Mercantia. Cap. XIII.

FRatres tertii membri elegerunt in quolibet suo Monasterio unum, ut præesset, quem Præpositum appellarunt: qui etiam hodie sic nominatur, licet quædam domus Prælatorum ab anno Domini 1358. citra sint intitulatæ sub nomine Præpositorum ex industria Magistri Tiberii, ut puta domus Breræ, & de Gambara, & multæ aliæ domus, quæ sunt de secundo ordine. Isti namque non ut laboratores, sed ut mercatores pro communi commodo, & non pro proprio bursello, ut etiam faciunt de præsenti Fratres de Varisio, artem lanæ exercebant; ut comprehendere potui secundum quoddam Instrumentum traditum in Camera Mercantiæ, domus Fratrum Sancti Cristofori de Laude per Anselmum de Mellesse anno Domini 1288. undecimo Februarii, coram Rev. Patre Magistro Lodorengho. Scilicet ab annis nonaginta citra omnes ab illo exercitio cessaverunt, salvo quod adhuc videtur de propriis manibus exerceant artem lanariam illi de Varisio: & ex ea arte dotata est major pars domorum ordinis ab antecessoribus nostris, qui de præsenti parum habentur in memoria tum propter defalcationem Fratrum, tum etiam propter paucam devotionem residentium. Unde valde est onerata conscientia aliquorum &c.

De

De aliis duobus generibus Fratrum, qui erant absque titulo.
Cap. XIV.

MEo namque tempore vidi alia duo genera Fratrum, absque titulo, quæ mixta erant cum secundo, ac tertio membro, & quæ nomine, & habitu inter se differebant, & quæ quasi ad nihilum redacta sunt. Et ista genera Fratrum non habebant vocem in Capitulo meo tempore; sed ut humiles famuli aliis in activis operibus serviebant, ut puta existentes Sacristani, vel Refectorarii, vel Caneparii, vel Coquinarii, vel Pristinarii, vel Hortulani, vel Carpentarii, vel possessionum, vel Broletti sollicitatores &c. prout eorum sufficientia optabat. Et ita panem suum quotidianum merebantur. Isti quoque in Ecclesia, & in Refectorio penultimi erant, & Novitii postremi. Ad Capitulum culparum post lectionem regulæ cum Novitiis recedebant, & regulæ ordinis subjecti erant. Primum namque genus portabat habitum similem illi, quo utuntur Fratres de Vicoboldono, & vidi in ea domo, & alibi; salvo quod non habebant tonsuram: quia non erant Clerici, & dicebantur laici. Extra autem Claustrum portabant mantellum, similem illi, quo utebantur olim Fratres secundi membri. Secundum vero genus portabat tunicam albam, & Caputium cum Honesta beretinum ut vidi in domo Breræ, & alibi: & dicebantur Fratres Conversi, & absque tonsura erant, Extra vero Claustrum portabant Capironum album (1) cum tessera alba consutum, factum ad modum planetæ; salvo quod erat largius supra scapulas, & erat incisum infra medium gambæ.

Quare

(1) Caparo, seu Capiro idem est, ac Cuculla. V. Cangium ad vocem *Caparo*.

Quare Clerici Ordinis antecedunt Fratres laicos non obstante antiquitate. Cap. XV.

OLim inter Fratres Sancti Michaelis de Alexandria, quæ pridie (1) unita est cum domo S. Joannis de Capucio, non obstante antiquo, & usitato ordinis statuto, quod Clerici præcedant Fratres laicos in Ecclesia, & alibi, quæstio orta fuit, quæ ad supplicationem laicorum dictæ domus commissa fuit Abbatibus Sancti Andreæ, & Gileto Ordinis Cistereiensis Januensis, & Aquensis Dioces. per Innocentium IV. qui Consiliarii contra statutum prædictum inique sententiarunt, decernentes, quod Fratres dictæ domus Clerici, seu laici, qui prius ordinem intraverunt, alios præcederent. Propter quod scandalum in ordine generabatur. Unde per præfatum Innocentium, qui pacem, & concordiam ordinis cupiebat, mandatum fuit Magistro ordinis anno Domini 1247. Idus Februarii Pontificatus sui anno primo, quod hujusmodi sententia non obstante prædictum statutum in ea domo, atque in aliis domibus ordinis sub pæna Anathematis facerent observari: & merito (2). Nam si vir quidam habeat duos filios, & Primogenitus efficiatur miles, alter vero presbyter, nonne in Curia Principis Presbyter antecedet, postea miles, tertius vero Pater eorum? Creditur, quod sic: quia dignitas, non ætas, debet gradum antecedere. Immo si eorum Pater postea Sacerdos efficiatur, Filius ejus Presbyter ipsum præcedet, ut in C. 1. *De Major.*, *&* *Obed.* nisi Pater fuit ordinatus a Romano Pontifice c. *per tuas eo tit.*, & filius a minori Pontifice &c.

Quo

(1) Vid. legendum *pridem*, nempe multo antea.
(2) V. Vol. II. pag. 219.

Quo tempore Ordo Humiliatorum fuit ab Apostolico approbatus.
Cap. XVI.

1198. Altera ætas, quo tempore prædictus Ordo ab Apostolico approbatus, non multum distans fuit, postquam Frater Jacobus, & Frater Lafrancus de Rondenario, & de Laude Præpositi, accesserunt ad præsentiam Innocentii tertii proferentes se nomine ordinis stare mandatis Ecclesiæ; Quia contra Humiliatos tunc murmurabatur, quoniam ipsi in aliquibus errabant; licet essent Religiosi sanctæ vitæ.

1. Enim murmurabatur, quia Fratres tertii membri errabant circa regulam, seu formulam, qua utebantur, quod non erat eis confirmata, nec conformis alicui regulæ approbatæ; similiter & Fratres secundi membri diversam formulam habebant.

2. Quia Fratres primi, secundi, & tertii membri, communiter timebant, seu nolebant jurare in causa, & habere *c. olim. De restit. spoliat.*

3. Quia per Sacros Canones tenebantur illas religiosas, quas infra sua Cænobia habebant, dimittere, cum verum sit, quod Monachus, & Monacha, in uno Monasterio non habeant cohabitare, ut in *c. in nullo loco*. 18. *qu.* 2. Sed ex quo habuerunt regulam approbatam, licite habere potuerunt usque ad inhibitionem Joannis PP. XXII. ad supplicationem ordinis factam anno Domini 1328. decimo Cal. Novembris, Pontificatus sui anno duodecimo.

4. Quia dicti Fratres tertii membri d[illegible]se esse Canonicos regulares (licet non uterentur Cam[illegible] ex prædicta regula, seu formula per se ipsos concepta, & præsentata prædicto Summo Pontifici cum formula secundi membri, ut infra: & quæ formula erat illa, quæ intitulata reperitur fere sub rubrica, & prologo regulæ B. Benedicti, & tamen non est ejus regula, ut probatur per se ipsam in Capitulo addito: *Quibus locis Fratres silere* de-

debeant , ubi legitur , *& secundum tempora & loca silentium arctare usque ad quantitatem silentii regulæ B. Benedicti*. Etiam habet unum capitulum de regula Panosii (1) Capitulo , *de Hospitibus suscipiendis*. Et etiam quia in ea deficiunt viginti capitula de regula B. Benedicti. Intitulata quoque est *de Præposito* , *& Canonica* , & multas alias differentias habet , cum additum sit ibi aliquid in capitulo , *de mensura ciborum ;* Et in capitulo , *quibus horis Fratres oporteat refici* , & in capitulo de *opere quotidiano :* & in aliquibus capitulis deviat a regula B. Benedicti. Tamen a principio sui novi ordinis bene licuit eis ex pluribus regulis novam regulam compilare ; sed eam , quoadusque ab Apostolico fuisset confirmata , non intitulare , nec vocare normam decebat. Veruntamen nemo de ordine nostro facit , nec meo tempore fecit professionem , ut sub regula B. Benedicti , ut faciunt Monachi nigri , & Fratres Montis Oliveti , sed sub regula hujus Congregationis , scilicet hujus ordinis faciunt professionem ; quæ professio est secundum modum prædictæ regulæ : *Omnis boni principium*. Etiam nota , quod his diebus præteritis quidam Frater præsumebat quod regula B. Benedicti fuisset nobis data , quia ipsa mentionatur , sed non confirmatur , in quodam privilegio Urbani Papæ tertii , ubi recitat , quod obeunte Præposito de Vicoboldono electio alterius Præpositi fieri debeat per sapentiorem partem Concilii Fratrum , secundum Deum , & regulam B. Benedicti , dat. anno Domini 1186. terti[illegible] Cal. Maji Pontificatus sui anno primo. Hoc absit , quo[illegible]e præsumeret Frater ille ; cum usque tunc elapsis inde q[illegible] annis , & diebus quadraginta quattuor , reconciliatus fuit totus ordo , & mutatus modus eligendi Præpositum , nec non nova forma fuit ut infra &c.

Quod

(1) V. quæ de hoc loco , aliisque hoc capite contentis diximus Vol. I. pag. 77. & 87.

Quod formulæ secundi, & tertii membri ordinis ad unam normam redactæ fuerunt. Cap. XVII.

PRæfatus itaque Summus Pontifex Innocentius tertius prædictos Fratres Lafrancum, & Jacobum gratiose, & charitative suscepit, & regulas, seu formulas per ipsos sibi præsentatas nomine secundi & tertii membri, scilicet Prælatorum, & Præpositorum ordinis ad Episcopum Vercellensem, & Abbatem Locedienſem, per semetipsos corrigi mandavit, a quibus, Episcopo, & Abbate, ad unam vivendi normam redactæ fuerunt; ut etiam sentit Honorius tertius in privilegiis tunc transmissis ut infra. Qui quidem Fratres postmodum Romam cum regula correcta, & sigillata a Correctoribus redierunt: & tunc per dilectos filios P. tituli S. Marcelli presbyterum, & G. Sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconum Cardinales, & Fratrem Rainerium, de mandato præfati Domini Papæ examinata fuit diligenter.

Hic approbatur Ordo Humiliatorum ex approbatione, & confirmatione regulæ prælictæ. Cap. XVIII.

DEinde Innocentius tertius de Fratrum suorum consilio in aliquibus ipsam regulam correxit, copiamque apud Apostolicam Sedem retinuit privilegii, ad cautelam, quod ordini multas gratias donavit, seu concessit anno Domini 1201. quæ regula incipit: *Omnis boni principium:* & est in pluribus moralior formula prædicta, & de qua comprobatione idem Innocentius primo scribit Prælato Breræ, & illi de domo nova Mediolani, aliisque Prælatis ejus ordinis, & eorum Fratribus, & Sororibus. Secundo scribit Præposito de Rondenario, & illi de Vicoboldono, cæterisque Præpositis ejusdem ordinis eorumque Fratribus, anno prædicto 1201. secundo Idus Junii, & decimosexto Cal. Julii Pontificatus sui anno quarto. Quam regulam postmodum Gregorius nonus confirmavit, & cum Bulla etiam Prælatis, &

Præpositis prædictis, eorumque Fratribus, & Sororibus tradidit observandam anno 1222. (*lege* 1227.). Et sic sunt duo privilegia ultra privilegium, in quo inserta est regula prædicta, tertio Cal. Junii, & quinto nonas Julii Pontificatus sui anno primo: & regula fuit annotata septimo Idus Junii anno prædicto. Tamen ut præsumo, prædicta regula data fuit usque anno Domini 1199. quia ipse Innocentius scribit prædictis Præpositis de Rondenario, & de Vicoboldono: *Cum olim dilectos filios Jacobum, & Lafrancum &c.*, & etiam, quia eo anno data fuit Fratribus tertii Ordinis, scilicet Fratribus primi membri, sua regula per præfatum Innocentium, prout comprehendere potui ex quadam scriptura, quæ facit mentionem, qualiter Dominus Guido de Porta Orientali Mediolani, & certi alii iverunt Romam pro prædicta sua regula habenda.

De Dispensatione Juramenti, & de Fratrum, & non Canonicorum Ordinis cognomine. Cap. XIX.

INnocentius tertius Juramentum dispensavit Fratribus primi, & secundi, & tertii ordinis, urgente causa, sed non sponte, ut in privilegiis habetur confirmationis regulæ prædictæ, & etiam in regula Fratrum tertii ordinis. Insuper idem Innocentius neminem de ordine nominat Canonicum, nec Canonicos dicit in dictis privilegiis, sed Fratres. Et sic per alios Summos Pontifices, qui privilegiaverunt ordinem in suis bullis papalibus; licet R. Frater Guglielmus Faba, qui decessit anno Domini 1365. recitat in quodam suo opere facto super regulam B. Benedicti in principio lecturæ, quod Humiliati habent particulas regulæ prædictæ, sed non habent officium, nec certa capitula, nec appellantur Monachi, sed Canonici Regulares &c., cui cum reverentia circa primam, & ultimam partem respondeo: Aut ipse ignoravit, aut exprimere noluit privilegia ordinis; cum secundum privilegia nullas particulas regulæ B. Benedicti habeant Humiliati

appro-

approbatas, nisi sint in antedicta regula: *Omnis boni principium &c.* Nec ipsa privilegia demonstrant Fratres ordinis esse Canonicos regulares: & merito, quia Canonici regulares utuntur Camiseto; sed non nos Humiliati; & legi privilegia ordinis in antedicta domo meæ professionis, ac etiam habitationis, jam sunt anni quadraginta, & unus, prima die Augusti, ubi per manus Fratris Pipini de Soresina, tunc Præpositi, vestitus sui, tempore Magistri Cristofori, tunc Generalis, ac Sacræ Theologiæ Professoris, licet plus profuit ordini conscientia, quam sapientia præter illam, quæ ædificavit conscientiam, & Præsules ordinis induxit ad operationem sanctam. Et magister Cristoforus in Castro Civoli propter persecutionem (t), quam patiebatur occasione Generalatus indebite, tempore Fratris Petri, ut infra dicemus, a Mediolano fugam cæpit, ibique migravit anno Domini 1406. decimo quarto Januarii; sed primum interfuit Venetiis, & secundum fuit Bononiæ.

Quid senserint alii Pontifices de prædicta regula Ordinis approbata. Cap. XX.

HOnorius tertius, qui immediate fuit post prædictum Innocentium, & ante prædictum Gregorium, sentit de prædicta regula, & qui de ea scribit Prælato Breræ, & illi de domo nova Mediolani, cæterisque Prælatis ejusdem ordinis, & eorum Fratribus, & Sororibus, ut de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta eam observent. Dat. anno Domini 1219. decimo quinto Cal. Januarii, Pontificatus sui anno quinto. Simile vero privilegium etiam Præpositis ordinis credo transmissum, licet in forma hactenus non reperi. Et qui postmodum scribit Fratribus, & Sororibus Breræ, qui ipsam regulam recusabant, dicentes, se habere quandam formulam, quæ erat a principio domus suæ, con-

t) V. quæ ad explicandum hoc Caput diximus Vol. I. pag. 125. &c.

conceptam. Dat. anno Domini 1226. Idus Decembris. Sentit etiam de ea regula Innocentius IV. qui scribit Magistro Generali, & universis Fratribus, & Sororibus primi, & secundi ordinis, scilicet tertii, & secundi membri, ipsam fore per eos servandam: anno Domini 1246. Calend. Novembris Pontificatus sui anno quarto. Sentitque de eadem Nicolaus IV., qui etiam de ipsa mentionem facit in privilegio exemptionis, concesso Magistro Loderengo, omnibusque Præpositis, & Prælatis, Fratribus, & Sororibus ordinis Humiliatorum anno Domini 1288. quarto nonas Septembris Pontificatus sui anno primo. Noverunt adhuc eam Archidiaconus Bononiæ, & Joannes Andreas, quando producta fuit cum Bulla prædicti Gregorii contra Collectorem Domini Papæ per Fratres de Vicoboldono anno Domini 1334. Non est ergo tam devota, & solemnis regula per tot Summos Pontifices, & sapientes in suis privilegiis, & sententiis ordini consecratis, confirmata, oblivioni tradenda: quinimo est post Matutinum legenda, & per operationem, ut possibilitas exposcit, servanda: quam observare nos Deus concedat.

Quod Fratres tertii Ordinis, qui primi fuerunt, habent regulam per se: & qualiter devote vivere debent. Cap. XXI.

SCiendum est quod Humiliati, & Humiliatæ, qui dicuntur Fratres, & Sorores tertii ordinis, licet primi fuerunt, ut est dictum, habebant regulam per se valde devotam, quæ alio nomine dicitur Propositum approbatum, & quæ incipit: *Proposuistis humilitatem cordis, & mansuetudinem morum*, eis confirmata primo per præfatum Innocentium III. 2. per prædictum Gregorium anno 1. Idus Junii, quod fuit quarta die post confirmationem prædictæ regulæ: *Omnis boni principium*. Et ipse Gregorius scribit in hunc modum: *Dilectis filiis Joanni Bello de Clavenzano, Manarie de Modoetia, Petro de Falcano de Carrate, Gulielmo de Cerliano, aliisque Ministris ordinis Humiliatorum, eorumque Fratribus, & Soro-*

ro-

toribus. Tamen prædicta regula data fuit Domino Guidoni de Porta Orientali Mediolani, & certis aliis, qui iverunt Romam anno Domini 1199., & vidi quandam scripturam de dicta regula mentionem facientem, quodque, (prout in regula, seu proposito vidi, & legi) ipsi ob reverentiam septem donorum Spiritus Sancti septem Horas Canonicas servare debent hoc modo: videlicet, pro qualibet Hora Canonica Orationem Dominicam septies ruminare debent in ore, & devotionem masticare in mente. Ad Primam vero, & ad Completorium addant, qui sciunt, *Credo in Deum*. Unusquisque etiam dicat per singulos dies, ter *Pater noster* pro vivis, & ter pro defunctis suæ fraternitatis, & semel pro pace Ecclesiæ, & totius populi Christiani, & semel ante comestionem, & semel post; & si aliquis eorum moritur, Fratribus nuntietur pro celebrandis exequiis: & duodecies *Pater noster*, & *Miserere mei Deus*, qui sciverit, pro anima ejus dicat. Deinde quarta, & sexta feria jejunent exceptis diebus Pentecostes, & Natalis Domini usque ad Epiphaniam, & aliis solemnibus diebus; in aliis vero diebus, in quibus non jejunant, prandio, & cæna sint contenti. Quodque singulis Dominicis diebus in loco idoneo conveniant, ubi quidam ex eis Fratrum probatæ vitæ, de licentia Diocesani, verbum exhortationis his, qui conveniunt ad audiendum verbum Dei, monitiones, & inducens eos ad mores honestos, & opera pietatis, habeat, & de Fidei articulis, & Sacramentis Ecclesiæ non loquatur. Hæc, & alia unde supra, quisque secundum eorum Constitutiones per me jectas, habent ut in Capitulo de cibo, & potu: & ne quis eorum extra suam domum in tabernis bibat, nisi fortasse in itinere, aut in domo sui hospitis, aut in domibus Ecclesiasticarum personarum, & tertii ordinis nostri: nec bibat in plateis licet remotus sit a tabula: & qui facit taxillos, aut aliam artem, per quam sequatur scandalum, & quæ fieri non potest absque peccato non recipiatur in eorum Collegio &c. facta tempore Fratris

Bon-

Bonvicini de Ripa 1291. ut infra. Scias etiam, quod isti Fratres tertii ordinis ita sunt exempti a vexationibus laicalibus, ut alii Fratres de ordine, secundum privilegia ordinis.

Quemadmodum Ordo redactus fuit sub custodia unius Rectoris.
Cap. XXII.

ALiud tempus, quo fuit ordo redactus sub unius Rectoris custodia, fuit, quando Præpositi, & Prælati, ac Ministri tertii ordinis non præcaventes in futurum (quia multa bono zelo, & sincero animo instituuntur, & antequam terminentur non respondent ad priora) sed tunc tantum desiderantes habere unum caput, loco illorum quattuor Præpositorum principalium, videlicet de Rondenario, de Vicoboldono, de Vigalono Papiæ, Sancti Cristofori, quorum singuli annis singulis successive, uno videlicet anno primus, secundo secundus, tertio tertius, & quarto quartus, visitabant, & regulabant ordinem; supplicaverunt Innocentio IV., ut de uno Præposito, seu Magistro generali, eis provideret, qui præesset toti ordini, & qui ut bonus Pastor valde diligenter regeret, gubernaretque oves suas infra suum ovile, ne a lupo visibili dentibus morderentur: & quod ipse Magister curam haberet ad regendum, & gubernandum eorum animas infra religionem sanctam, ne a sagittis lupi invisibilis vulnerarentur: qui Pontifex volens in libertatem ordinem demittere, ne forte etiam personam eis exosam, vel ordini inutilem traderet, aliquantulum distulit annuere.

De primo Magistro Generali ab Ordine electo
anno Domini 1246. Cap. XXIII.

LIcet Innocentius IV. pro illa vice non annuit supplicationi jam dictæ in proximo Capitulo, pro parte Præpositorum, & Prælatorum, ac Ministrorum ordinis porrectæ; tamen ne ipsi sine gubernatore permanerent, sub custodia O. Episcopi Portuensis

fis ipfos, & ordinem commendavit: qui follicita meditatione attendens, ipfos ad unum caput habendum per fuas litteras annuit, & ad providendum fibi de uno capite, quo carent, Generali (*videtur aliquid deeffe*). Et tunc confortati confilio convocaverunt Capitulum, in quo quidem Capitulo electus fuit Frater Bertramus, tunc Præpofitus Sancti Lucæ Brixiæ. Et inde electio præfentata fuit Innocentio IV., qui ipfum approbavit anno Domini 1246. tertio Idus Octobris, Pontificatus fui anno quarto. Unde idem Innocentius in privilegio, ubi fentit de regula, quod electio, & depofitio Magiftri Generalis Ordinis ad eos, qui ad hoc in generali Capitulo electi fuerunt fecundum tenorem inftitutionem ordinis pertinere debeat. Et utinam pro commoditate ordinis vigeret talis inftitutio; eo quia non invideret aliquis Magifterio ordinis; & fic de bono in melius profperaret.

De fecundo Magiftro ab ordine electo. Cap. XXIV.

DEinde dicto Magiftro Bertramo viam univerfæ carnis ingreffo, ac Capitulo generali iterum celebrato electus fuit Frater Petrus, tunc etiam Præpofitus dictæ domus Sancti Lucæ Brixiæ: & electio fic facta fuit præfentata Alexandro Papæ IV., qui ipfam approbavit anno Domini 1257. tertio decimo Calendas Junii, Pontificatus fui anno quarto. Et nota quod ifte renunciavit Magifterium ordinis fponte; ut vidi in quadam fcriptura facta 1272., & ejus refutatio facta fuit in Capitulo generali, celebrato in domo Sanctæ Mariæ Matris Domini 1272.

De tertio Magiftro ab ordine electo. Cap. XXV.

SPonte Magiftro Petro renuntiante, ut reperi in certis pofitionibus, Domino Ottoni Vicecomiti Archiepifcopo Mediolani oblatis pro controverfia ordinis, celebrato inde generali Capitulo, electus fuit Frater Lodoringus tunc Præpofitus domus de Mirafole anno Domini 1272., & fuit præfentata electio Grego-

rio Papæ nono: quam ipse Gregorius commisit Domino Ottobono tunc Sancti Adriani Diacono Cardinali, qui eam approbavit. Is Magister fuit magnus pugil contra Archiepiscopum (*l.* Episcopum) Brixiensem, & Cumensem, & alios quosdam Episcopos, qui nitebantur velle visitare domos Humiliatorum, & corrigere Fratres, & Sorores ordinis in suis Diœcesibus. Tamen gratia Dei obtinuit contra eos, ut apparet privilegium exemptionis Nicolai quarti, ubi de regula sentit, dicens: *Dilectis filiis, Loderengo Magistro, & Capitulo generalibus, nec non Præpositis, Prælatis Fratrum, & Sororum ordinis Humiliatorum. Sane dudum, sicut accepimus, recolendæ memoriæ Innocentius Papa III., qui angulari lapide, Christo Jesu, ordinis vestri fundamenta locavit: felicis quoque recordationis Gregorius Papa nonus prædecessor noster regulam vestram, per dictum Innocentium prædecessorem tunc correctam, & apud Sedem Apostolicam reservatam, jussit litteris annotari &c.* Nota quod iste Magister Lodorengus posuit primarium lapidem Ecclesiæ domus de Marliano Mediolani Portæ Ticinensis, & benedixit Cimiterium die 23. Januarii, hora prima, anno Domini 1275. ex concessione sibi data per Dominum Gregorium Episcopum Ferrariensem, tunc Legatum: quod fuit post ædificationem Ecclesiæ de Montelupario Fratrum Breræ annis octo, & post ædificationem Ecclesiæ veteris de Braida annis sexaginta septem; ut comprehendi in scripturis veteribus domus meæ.

Quod electio Magistri de antiqua consuetudine spectat ad ordinem. Cap. XXVI.

Altera vice vacante Magisterio ordinis per ressignationem personaliter factam in manibus Benedicti Papæ duodecimi per Fratrem Gulielmum Fabam, qui electus fuit tempore reservationum factarum per Papam Joannem vigesimum secundum; qui, ut ignarus dictarum reservationum, virtute privilegiorum ordinis administravit. Volens itaque præfatus Benedictus attendere,

re, quod de antiqua, & approbata consuetudine ordinis, hujusmodi vacante Magisterio, ad Capitulum generale pertinere Magistri electionem; commisit Præpositis de Rondenario, & de Vicoboldono, & Prælatis Breræ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Gambara, ad quos de antiqua consuetudine vacante Magisterio administratio regiminis dicti ordinis, & convocatio Capituli generalis pertinere videbatur, ut in Alexandria Aquensis Diœcesis convocarent Capitulum generale. Convocato itaque Capitulo electus fuit Frater Jacobus, tunc Præpositus domus de Galgari, Pergamensis, anno Domini 1338. Idus Julii, Pontificatus præfati Benedicti anno quarto &c.

De enormitate, & incommoditate Ordinis occasione Magisterii noviter occursa. Cap. XXVII.

MEo tempore, quidam alter Summus Pontifex, Bonifacius nonus, anno Domini 1398. circa finem anni non curans perpendere incommoditatem ordinis, sed quibusdam Magnatibus aliena persuasione motis (1) complacere, quendam Fratrem Petrum, tunc Abbatem S. Andreæ Januæ, non vacante Magisterio, nec id ab ordine supplicato, ipsum ex certa scientia in Magisterio ordinis constituit ex suggestione prædictorum Magnatum: & dicitur dictum Fratrem Petrum hæc omnia suggessisse. Sui namque Secretarii, & Consiliarii erant, qui alio nomine Præpositi de ordine dicebantur, ordinis, & Magistri Cristofori, tunc Generalis proditores, quos cognoscebam, sed pro honestate nomen reticeo. Et qui Frater Petrus ante fuit Abbas in domo suæ Professionis per triennium, quinquennium, & ultra, ut fertur, & ordinem credo refutasse, ut iterum rediret. Unde male, & pessime illi egerunt, qui prædictæ permutationi consenserunt,

(1) Intelligit præcipue Franciscum Comitem Barbavariam, qui quid hac in re egerit, diximus Vol. I. pag. 127. Sed de illo mox sermo redibit.

non præcaventes futurum ordinis periculum, & incommodum, ac Animarum fuarum præjuditium, & de uno recordabor &c. Nam ille Comes Francifcus nomine, natus de Barbavariis Novariæ ex interventa Magni Ducis morte, decathedratus fuit de fua fede (1). Tunc ii, qui folebant eum amare, infurrexerunt contra eum dure. Unde bis fe abfentavit a murmure timens populi irati furorem (2).

Hoc fuit Regnante altero Duce, qui tractatus fuit a fuis fevere (3). Sed dominante tertio Duce iterato venit repatriare (4); & quan-

(1) Francifcus Barbavaria humili loco natus, eam apud Joannem Galeatium Mediolani Ducem gratiam natus fuerat, ut moriens an. 1402. Francifcum inter filiorum fuorum tutores adfcripferit. Id vero maximam aliorum Procerum invidiam in illum conflavit. Andreas Billius Hiftor. Patr. Lib. I. hæc habet: *Unus erat in aula Francifcus, cognomen Barbavaria, quem dudum Galeax potentiffimum voluerat: ad hujus invidiam ceteri ambiebant, ægre ferentes tot Proceribus prælatum, quem pæne purgandæ aulæ miniftrum meminiffent. Illum tamen Dux* (Catharina Joannis Galeatii uxor) *ita a viro monita fingulariter audiebat, obfervabatque. Id vero etiam magis curiam incendit, multaque per angulos coitiones ad unius hominis eliminandam potentiam facta.*

(2) Primo fcilicet an. 1403. populi feditione in Barbavariam ejufque affeclas excitata, illa fuga fibi confulere coactus fuit. Hinc anno 1404. Mediolanum revocatus, fummoque cum honore exceptus, paullo poft cum Manfredum fratrem fuum Papiæ in vincula conjectum audiffet, fibi metuens iterum fugit; dumque in Valle Seffite, quæ in ejus jura erat, moratus eft. V. Corium, Donatum Boffium, Billium, aliofque hujus ævi fcriptores.

(3) Nempe Joanne Maria Vicecomite, Joannis Galeatii filio, qui an. 1412. a conjuratis cæfus fuit.

(4) Barbavaria eodem anno 1412., Philippo Maria Mediol. Duce, die 30. Decemb., Mediolanum rediit, ut Corius, & Donatus Boffius teftantur. Sed paullo poft morte correptus eft: Billius Lib. III.: *Qui* (Francifcus) *paulo ante reductus a Philippo in Curiam, quum ad confilia fummus haberetur, jam pæne excrefcens rerum* (forte iterum) *mortem obierat.* Hoc innuere videtur Chronici noftri auctor illis verbis: *Relegatus fuit ab illo Judice.* Sed quid fibi illa velint, quæ fequuntur: *Ille non tardans ... fugit in domo Breræ &c.* fateor me non intelligere, nifi forte id fignificet, Francifcum morbo correptum in Braidenfes ædes fe deportari juffiffe, ut ibi a rerum tumultu remotus facilius fe ad mortem compararet. Ego fane nihil in illius ævi hiftoricis comperi, unde his verbis lux aliqua affulgeat.

& quando ſtare credidit ſecure, relegatus fuit ab illo Judice. Ille non tardans ſe abſcondit invite, & expedite fugit in domo Breræ (ut credo) permanſurus tute, forte uſque ad illum ſonum buccinæ: qui quanto ſublimabatur a Duce, nunc tanto plus vileſcit a verme. Multis profuit ſedens ſublime, forte ex quibus pœnam ſuffert ipſe: cauſaque fuit ordinis injuriæ, quando conſenſit mutationi prædictæ. Attamen Deus ſuæ parcat animæ, & eam in Cœlis dignetur collocare, quæ ſe ſeparavit ab hac luce anno, quo Mediolanum venit ipſe.

De poteſtate attributa Magiſtro Generali ſecundum jura ordinis. Cap. XXVIII.

DOminus ſiquidem Magiſter Generalis plenariam habet poteſtatem ſuper univerſis domibus primi, & ſecundi ordinis, atque Conventibus tertii ordinis, ſecundum Innocentium quartum: *Ubi per ſe ipſum poterit quolibet anno, aut per idoneas perſonas in Capitulo generali electas, viſitationis officium impendere, & ſtatuenda, vel corrigenda, ut putaverit, ſtatuere, & emendare ſecundum Deum, & ordinis inſtituta per Sedem Apoſtolicam approbata.*

Et quod viſitationis, & correctionis ſuper univerſum ordinem, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenam habet poteſtatem; poteſt etiam Præpoſitus ordinis, ſi Sacerdos fuerit, cuilibet laico litterato, qui habitum ordinis receperit, primam tonſuram miniſtrare. Habetur in privilegio, in quo ſentit de regula.

Poteſt etiam abſolvere excommunicatos intrantes in ordine, dummodo paſſis injuriam ſatisfecerint competenter, niſi forte uſque adeo eorum fuerit gravis, & enormis exceſſus, quod ſint merito ad Sedem Apoſtolicam tranſmittendi, eandemque poteſtatem habent Præpoſiti ordinis ex privilegio præfati Innocentii, dato Pontificatus ſui anno quarto, ſexto Idus Novembris.

Nota quod ante primum Generalem ipſi Præpoſiti bene habe-

be-

bebant eandem potestatem, secundum Gregorium nonum datum anno quarto sui Pontificatus decimo Calendas Martii.

Potest etiam dispensare ut utantur sagimine, secundum instituta ordinis, scilicet secundum regulam, cum his, qui intrant in ordinem, non obstante aliquo voto, seu promissione, quo vel qua fuissent astricti, postquam professionem fecerint, ex privilegio Innocentii dicti, dato anno sui Pontificatus octavo, decimo Calendas Septembris.

Potest absolvere Fratres ordinis, qui per suos superiores, fuerunt sententiis excommunicati, vel per transgressionem statutorum ordinis: ac cum illis super irregularitate dispensare juxta formam Ecclesiæ, si dispensatione indiguerint, in casibus, qui non sunt Sedi Apostolicæ reservati: ut in privilegio Benedicti undecimi, dato sui Pontificatus anno primo, quarto Idus Februarii.

Potest unire domos ordinis cum consensu aliquorum Præpositorum, & Prælatorum, discretorum, sive dictæ domus, sive de primo ordine, sive de secundo: secundum aliud privilegium Benedicti, datum ut supra proxime.

Etiam dictus Benedictus tribuit auctoritatem dicto Magistro, & Præpositis ordinis, constituendi oratoria in domibus, granciis, & locis propriis, ibique habere Altaria portatilia, ut habetur per alterum privilegium datum ut supra.

Potest excommunicare Fratres, qui post factam in domibus ordinis professionem, se transferunt ad alium ordinem sine licentia: a qua quidem excommunicatione non potest absolvi nisi per ipsum Magistrum, vel suos successores, aut ex mandato Sedis Apostolicæ: non obstante, quod ordini Cisterciensi, Cartusiensi, Minorum, Prædicatorum, & quibusdam aliis ordinibus sit indultum, ut absolvere possint ab excommunicatione, suspensionis, aut interdicti sententia. Hæc prædictus Innocentius IV. anno octavo sui Pontificatus Idibus Augusti.

Po-

Poteſt etiam compellere Fratres ordinis ad obſervantiam regularis diſciplinæ, qui ſunt, vel per tempora erunt Capellani Sedis Apoſtolicæ, ſecundum privilegium Gregorii undecimi, datum anno Domini 1373., quinto Idus Novembris, anno tertio ſui Pontificatus.

Idem Gregorius conceſſit privilegium prædicto Magiſtro, ut ad prædictam obſervantiam regularem arctare (*poſſit*) Præpoſitos illos, qui promoti ſunt aut erunt pro tempore a Sede Apoſtolica: datum anno prædicto nonas Januarias.

Habet etiam executorialem prædicti Gregorii commiſſam Archiepiſcopo, & Abbati S. Siri Januenſis datam anno ſexto ſui Pontificatus decimo Calendas Novembris, cum proceſſu facto per prædictum Abbatem contra prænominatos Præpoſitos dato anno 1376. die 1. Novembris decimaquarta Indictione. Quæ Bonifacius IX. etiam ſentit contra prædictos Capellanos, & Præpoſitos, qui ſunt, aut erunt pro tempore juxta privilegium datum anno 1398. Idibus Julii Pontificatus ſui anno 9.

Poteſt etiam implorare auxilium ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis Eccleſiæ Prælatis ut apoſtatas, & rebelles ordinis, poſtquam fuerunt ab eis moniti diligenter, tandem denuncient, ſeu denunciari faciant excommunicatos donec ad ordinem revertantur, & debitam reverentiam, & obedientiam dicto Magiſtro exhibeant, ſecundum aliud privilegium prædicti Benedicti undecimi, datum ut ſupra quod fuit 1303.

Habet confirmare Præpoſitos, ſecundum prædictum Innocentium, & Prælatos ſecundum novam conſuetudinem. Et ſi forte aliquis eorum aliquid commiſerit, per quod ab adminiſtratione ſit merito removendus, de Conſilio quatuor priorum Præpoſitorum ab ea, ſi ſponte cedere noluerit, poterit amoveri, ut in dicto privilegio Innocentii IV., ubi ſentit de regula.

Et quod habet extrahere a regula, & a ſtatutis ordinis jacula diſciplinæ, & tendere arcum operationis, ad expellendum pra-

pravos mores subditorum, quia in extirpando eorum vitia, non lento pede habet transire, memorans semper periculum Heli Sacerdotis.

De antiqua Ordinis Immunitate. Cap. XXIX.

OBtenta fuit gratia, ut Magister Generalis, in Capitulo generali electus, sine Sedis Apostolicæ confirmatione petita, vel obtenta, posset officium suum exercere, tam in spiritualibus, quam temporalibus: ex privilegiis Honorii IV., & Benedicti undecimi, quæ fuerunt annis Domini 1286., & 1303. quarto nonas Julii, & tertio Calendas Martii, suorum Pontificatuum anno secundo, & primo.

Et quod ordo exemptus est ab omnibus vexationibus laicalibus, dato, quod Jus Canonicum omnes ecclesiasticas personas faveat: ex privilegiis Innocentii III., & Gregorii noni: & Innocentius IV. ubi sentit de regula.

Et quod exemptus est a collectis, seu subsidiis, quæ ante imponi solebant per Diocesanos, seu Ordinarios, in quibus sunt loca ordinis; dummodo alii Religiosi generaliter non contribuant, vel pro expensis Legatorum, aut Nuntiorum Sedis Apostolicæ non exigantur dumtaxat: ex privilegio prædicti Honorii quarti, dato sui Pontificatus anno secundo, Calendis Junii, quod fuit anno prædicto 1286.

Insuper exempta sunt tam loca, quam personæ a jurisdictione Diocesanorum, Episcoporum, & Archiepiscoporum, in quibus Dioecesibus sunt domus, & personæ ordinis: ex privilegio Nicolai quarti, ubi sentit de regula.

Exemptus quoque est ordo a Decimis, ut puta de Novalibus, quæ propriis manibus, aut sumptibus coluntur: sive de fructibus hortorum, aliarumque possessionum, quæ sunt infra clausuras domorum: & de artificiis, quæ propriis manibus exercentur. De pratis quoque, & molendinis suorumque animalium nutrimentis nullus decimas exigere, vel extorquere præsumere habet: Innocentius IV. ubi sentit de regula. Dat-

Datque etiam ordini auctoritatem acceptandi libere eligentes sepulturam in locis ordinis, nisi sint excommunicati, vel interdicti, aut publici usurarii, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Vult quoque idem Innocentius IV., quod de collectis, quæ Clericis Lombardiæ nomine Ecclesiæ Romanæ imponuntur, non aggraventur Fratres Humiliati ultra suam partem pro rata secundum aliud privilegium, datum anno sexto sui Pontificatus nono Calendas Junii, scribens Archiepiscopo Mediolani.

Et Joannes vigesimus secundus, quod collectores Sedis Apostolicæ infra Italiam non debeant exigere fructus aliquorum Beneficiorum vacantium in ordine Humiliatorum; cum eorum Præpositi vixerunt, & vivunt solum de bonis communibus earundem domorum, sicuti cæteri Fratres ipsarum domorum &c. Dat. anno undecimo sui Pontificatus, quarto Calendas Septembris.

De Indulgentia Ordini concessa, & in particulari pro Capella S. Leonardi sita in Ecclesia Breræ. Cap. XXX.

DEsiderans Joannes Papa vigesimus secundus, reddere Domino Populum Christianum acceptabilem, & fideles Christi invitans ad complacendum ei, de omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, omnibus vere pænitentibus, & confessis, qui Ecclesias, & oratoria domorum ordinis Humiliatorum, in Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis Dominicæ, nec non Pentecosten, præcipuis B. Mariæ Virginis, dictorum Apostolorum, S. Joannis Baptistæ, S. Michaelis Archangeli, B. Benedicti, & Ecclesiarum, & Oratoriorum prædictorum festivitatibus, singulisque diebus Dominicis Quadragesimæ devote visitaverint, annuatim sexaginta dies de injunctis eis pænitentiis misericorditer relaxavit. Dat. anno Domini 1319. decimo Cal. Novembris, Pontificatus sui anno primo.

 Anno

Anno Domini 1350. Clemens Papa fextus cuilibet vifitanti Capellam B. Leonardi Confefforis fitam in Brera Ordinis prædicti, annuatim in fefto ejufdem Sancti vere pænitentibus, & confeffis, de omnipotentis Dei Mifericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoftolorum ejus auctoritate confifus, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis pænitentiis mifericorditer relaxavit. Dat. anno nono fui Pontificatus, duodecimo Cal. Junii.

Qualiter federe debeant Præpofiti, & Prælati Ordinis in Capitulo generali. Cap. XXXI.

MOdus autem fedendi in Capitulo generali talis effe folebat, ut dicitur. Nam in prima turma, fcilicet a manu dextera Magiftri Generalis, fedebat Præpofitus de Rondenario, & Prælatus Breræ: & in fecunda turma fedebat Præpofitus de Vicoboldono, & Prælatus de Gambara: & ita unus Præpofitus, & unus Prælatus, fedebant tam in prima turma, quam in fecunda: & ille de Rondenario primo dabat vocem fuam, & poftea fequebatur ille de Vicoboldono: & ita Præpofiti dabant duas voces in Capitulo, fcilicet primam, & fecundam immediate poft propofitionem per ordinis aditum factam. Qui quidem modus non videtur rationi fore confonus, fi ita fervabatur. Quoniam ficut ipfi Præpofiti, & Prælati habent titulos differentiatos infra fe; ita per confequens habere debent fedilia feparata in Capitulo; ut puta in prima turma federe debent Præpofiti, & Prælati in fecunda, ut major Prælatus fecundam vocem dicere poffit. Nam ut notum eft ille de Brera caput eft fecundi membri ordinis; ideo habere debet primum locum in fecunda turma, & dicere fecundam vocem in Capitulo. Verum eft etiam, quod Conftitutiones volunt, quod Magifter ordinis celebrans Capitulum generale, debeat eligere Præpofitum de Rondenario, & Prælatum Breræ ad eligendum Definitores totius Capituli. Unde monftratur, quod ipfi funt duo principalia capita penes ipfum Generalem,

lem, & unus ad dextram, alter ad finiftram in Capitulo collocanda. Et plura Inftrumenta Sindicatus facta in Capitulis generalibus legi, & non inveni unum Præpofitum, & unum Prælatum, fed Præpofiti feparati funt a Prælatis, maxime in illo Sindicatu facto anno Domini 1288. prope Papiam apud manfionem domus novæ ultra Ticinum, ubi feparatum eft membrum Præpofitorum a membro Prælatorum, etiam per Innocentium tertium, & Gregorium nonum, non videlicet mifcere membrum Præpofitorum, cum membro Prælatorum, fed feparate in fuis litteris papalibus unde fupra, & Benedictus duodecimus adhuc dicta membra feparat in commiffione per eum facta Præpofitis de Rondenario, & Vicoboldono, & Prælatis Breræ, & de Gambara occafione Capituli generalis in Alexandria Aquenfis Diocefis tunc congregati, de quo fupra. Nota quod Prælati fuerunt Patres Præpofitorum; Patres autem Prælatorum fuerunt Miniftri tertii ordinis fpiritualiter loquendo: ergo ille de Rondenario, qui præcedit Præpofitos ordinis, fedebit ad dexteram Generalis Magiftri, cum aliis Præpofitis primi ordinis; & ille de Brera, qui præcedit Prælatos, fedebit primus ad finiftram cum aliis Prælatis, feu Præpofitis de fecundo ordine; & non mifcere turmas, quia non eft conveniens, ut aliquis Prælatus forte non Clericus fedeat ad dexteram, & Præpofitus, Clericus, & Sacerdos primi ordinis ad finiftram, ut poterat evenire, fi fervaretur dictus modus non juridicus. Miniftri autem tertii ordinis non pridie, fed antiquitus ad Capitulum accedebant: & ibi dum de temporalibus loquebatur permanebant. Sed ex quo ordo habuit Magiftrum Lodorengum, eft mutatus modus: fcilicet quod ipfi non vocabantur ad Capitulum, ut patet per Conftitutiones ordinis, in quibus ipfi non invitantur, & ex Inftrumentis Sindicatus, factis in Capitulis generalibus a dicto Magiftro Lodorengo. Sed bene ipfi poftmodum convocabant Capitulum generale per fe: &, quæ ordinabantur, ad Magiftrum, & ad Capitulum generale totius

 ordi-

ordinis per Definitores sui Capituli transmittebantur confirmanda; ut legi nonnullas Constitutiones tertii ordinis, ordinatas Mediolani 3. die Maji 1291. confirmatas in generali Capitulo celebrato in domo S. Trinitatis Mediolani anno prædicto die 9. Maji, tempore Fratris Bregnani, tunc Magistri Generalis, & rogatum fuit Instrumentum confirmationis per Fratrem Carnevarium de Brera Mediolani Notarium.

Et nota quod Fratres dicti tertii ordinis tunc in quibusdam Urbibus, & Burgis, & locis vigebant: ut puta Mediolani; & in partibus circumstantibus, & in Modoetia, & in Laude, in Papia, in Cumis, in Novaria, in Brixia, in Bononia, in Mutina, & in Janua tempore prædictarum constitutionum, & Fratris Bonvicini de Ripa.

De bono quod procedebant, quando convocabant Capitulum generale. Cap. XXXII.

NAm tunc temporis sæpe convocabatur Capitulum generale; quod fieri debet omni anno secundum Innocentium quartum, & etiam secundum Innocentium tertium, quamvis sint anni quadraginta quatuor, & ultra quod non fuit convocatum Capitulum. Ideo væ negligentibus, & maxime quando in judicio rationem suæ villicationis reddent: si valida erit excusatio, ut illa pastoris, qui nescit an lupus oves comederit. Tunc enim, quando generale Capitulum convocabatur, Religio sancta florebat, crescebat, ac redolebat per orbem, ut lilium, propter rubiginem vitiorum, quæ extirpabantur a spiritualibus Patribus cum oleo suavis reprehensionis, & sirupo mordacis contritionis, & medicamento S. Pænitentiæ, quæ infirmis Fratribus porrigebatur. Et qui tunc desiderabant salvationem, amabant reprehensionem, animadvertentes, quod qui præceptis SS. Patrum non acquiescit, & reprehensiones arguentium non diligit, cæleştem hæreditatem non consequetur. Et tunc per Magistrum generalem hortabantur

tur Præpositi, & Prælati ordinis, ut spiritualem amorem haberent erga subditos: & subditi ab eo inducebantur, (vellent, aut nollent) ad eorum obedientiam: & non permittebantur pro animarum suarum salute vagari, nec persistere inobedientes, quoniam inobedientia, est origo omnium criminum, & ruina cunctarum virtutum; & ita succumbere facit hominem sub quolibet vitio, ut mulier sub quolibet viro; etiam illis temporibus Præpositi, & Prælati hortabantur a Magistro generali, & ipsi Præpositi, & Prælati subditos suos hortabantur, ut eorum peculia omni anno in scriptis redigerent, & consignarent, & quamplunries ego consignavi. Ministri vero ordinis tertii intratas suorum Conventuum portabant: qui quidem modus sanctus, & religiosus erat, & de præsenti esset, si servaretur.

Matricula religiosorum Patrum Generalium Ordinis. Cap. XXXIII.

POstquam perlegi prædicta privilegia, in prædictis Capitulis memorata, reperi alias diversas scripturas, quæ demonstrant, qui, & quot fuerunt in nostro ordine Patres generales, qui substituti fuerunt loco illorum quatuor Præpositorum, qui antea regulabant ordinem: prout sub brevitate eorum nomina, & millesima denotantur infra: quas quidem scripturas inveni ubi erant jura illa, quæ causa fuerunt reducere ordinem infra Diocesim Mediolani ad octavum denarium de quibuslibet oneribus, Clero Mediolani, & ejus Diocesi incumbenti per potentiam laicalem: qui antea erat magis gravatus. Sed nota quod de oneribus impositis causa Nuntiorum Sedis Apostolicæ, non tangit ordinem infra prædictam Diocesim nisi decima tertia pars, vel duodecima, juxta æstimum Legatorum. Unde ad propositum redeundo.

Primus fuit Pater Generalis, Frater Bertramus Præpositus S. Lucæ Brixiensis. Electus fuit anno Domini 1246. de quo facta est

est supra mentio; fuit fundator Præpositurae S. Lucæ Brixiæ, ut audivi.

Secundus, Frater Petrus, Præpositus dictæ domus S. Lucæ Brixiæ. Electus fuit 1257.

Tertius, Frater Lodorengus, Præpositus domus de Mirasole. Electus fuit anno Domini 1272.

Quartus, Frater Brignanus, Præpositus domus de Ottaciis: electus in Capitulo generali celebrato ad Grantiam Montis Luparii Fratrum Breræ, anno Domini 1290. die secundo Martii.

Quintus, Frater Guidotus, Præpositus de Vicoboldono, anno Domini 1294. Et nota quod iste renuntiavit anno Domini 1308. in Capitulo generali celebrato Cremonæ.

Sextus, Frater Bertramus, Præpositus Vicoboldoni, anno Domini 1309.

Septimus, Frater Jacobus de Lomeno (ubi Præpositus fuit non reperio) anno Domini 1317.

Octavus, Frater Benedictus de Alzate, Præpositus de Mirasole, anno Domini 1321.

Nonus, Frater Gulielmus Faba, Præpositus de Vicoboldono, anno Domini 1336.

Decimus, Frater Jacobus, Præpositus de Galgara, anno Domini 1338.

Undecimus, Frater Gulielmus de Corbeta, de Brera, Prælatus domus novæ Mediolani, anno Domini 1350.

Duodecimus, Frater Ubertus, Præpositus de Mirasole, anno Domini 1353.

Decimus tertius, Frater Tiberius, Præpositus de Galgara, anno Domini 1355.

Decimus quartus, Frater Cristoforus, Præpositus Breræ, anno Domini 1371.

Decimus quintus, Frater Petrus, Abbas Monasterii S. Andreæ Januæ, anno Domini 1398. de quo supra facta est mentio.

De-

Decimus sextus, Frater Andreas Vicecomes, qui effectus fuit Frater, & Generalis in una die in domo de Vicoboldono 1401. per litteras Bonifacii Papæ noni: & rexit annis triginta & uno. Non credo, quod omnes prædicti Domini Patres Generales de dictis domibus, unde pro assumptione Magisterii ordinis remoti fuerunt, fuerint professi; ut puta Frater Brignanus fuit Præpositus domus S. Michaelis de Alexandria, anno Domini 1272., & in domo de Caputio, anno Domini 1274., & 1278., & in domo Portæ Vercellinæ, quæ dicitur de Ottaciis, anno Domini 1289., & 1290., & eo ultimo anno electus fuit in Magistrum ordinis. Frater Guidotus fuit Præpositus in domo de Galgara, anno Domini 1270., & in domo de Vicoboldono 1288. 1289. 1290. 1294. Eo vero ultimo anno electus fuit in Magistrum ut supra. Frater autem Bertramus fuit Præpositus in domo S. Petri de Modoetia 1304., & in domo de Vicoboldono 1309., & ipso anno electus fuit in Generalem Magistrum. Frater Gulielmus de Corbeta de Brera erat Prælatus *della Canova*, eo anno quo vocatus fuit in Generalem ordinis.

Mortuo Vicecomite Joannes Archiepiscopus Mediolani, non tamen Cathedram tenens a Concilio tunc Basiliensi Commendatarius ordini datus est, ordine eum postulante, persuasu tunc Philippi Mariæ Mediolani Ducis. Dum hic intrusus ordinem in tantum regeret, in quantum ab eo exigeret, quoniam ad altiora aspirabat, jussu Eugenii Papæ IV. Senis Capitulum generale inducitur, & ibi tunc,

Decimus septimus, Frater Stephanus de Arzago, tunc Præpositus Comi, Generalis eligitur de anno Domini 1435. qui confirmatus ordinem rexit annis novem. Post eum renuntiantem, & institutis cedentem, compromisso a Capitulo in eundem facto electus est,

Decimus octavus, Frater Philippus de Cribellis, Præpositus *della Vinea* Laude, anno Domini 1443. qui sæpius confirmatus,

nunc

nunc Præpositorum postulatione, nunc Summi Pontificis proprio motu, tandem rexit annis vigintiquatuor, nono Decembris; post quem,

Decimus nonus, Frater Jacobus de Landriano, Præpositus Vicoboldoni canonice electus fuit anno Domini 1469., qui ad totius Capituli generalis postulationem, a Summo Pontifice ad vitam confirmatus, postea anno generalatus sui decimo septimo decessit, quidem de anno 1485. die octava Novembris; & fuit Doctor.

Quod Domus primi Ordinis sunt separatæ a Domibus secundi Ordinis. Cap. XXXIV.

PRopter aliquorum ignorantiam, qui non cognoverunt, quæ primi ordinis essent domus, & quæ secundi, quia multæ domus Prælatorum ab aliquibus annis citra sunt intitulatæ sub nomine Præpositorum, ut puta domus Braidæ; habui recursum ad Constitutiones ordinis, & antedictum Sindicatum factum in Capitulo generali anno Domini 1288., ubi ostenditur differentia dictarum domuum. Nam in Constitutionibus reperio separatas, ut infra notabo; & licet ille de Gambara non sequatur Prælatum Breræ; tamen de sua jurisdictione, quam videtur habere tempore vacationis Magisterii ordinis, non privatur. Et licet quælibet domus habeat numerum Clericorum taxatum, cum verum sit, quod domus de Vicoboldono habeat valorem librarum quadraginta octo millium, & centum decem bonæ monetæ, & non habeat nisi sexdecim Clericos: & domus *della Canonica* Mediolani, quæ habet nisi libras duo mille septem centum novem, & solidos novem, & denarios sex, habeat Clericos duodecim, & domus *della Canova* Mediolani, quæ habet valorem librarum sex mille ducentum sexaginta novem, & solidos quinque, habeat Clericos duos, & illa de S. Calimero, quæ habet valorem librarum viginti millia centum octo, non habeat nisi Clericos decem; & illa de Brera, quæ circa sextum denarium minus habet,

bet, quam de Vicoboldono, habeat Clericos viginti quinque: & sic de pluribus aliis domibus; & licet multæ domus diffalcatæ sunt a dictis constitutionibus circiter, & aliquæ adjunctæ sunt, tamen quando Deo placuerit, quod fiat Capitulum generale, tunc ii, qui erunt ibi, scient ubi sedere debebunt, tam Præpositi de primo, quam Prælati de secundo ordine. Sed illas domos, quæ adjunctæ sunt, per turmas inferius dividam, ut novi fraterculi dividuntur in Choro psallentium, salvo quod si in futuro primo Capitulo fuerit aliquis Prælatus, non Sacerdos &c.

Domus primi Ordinis.	*Domus de secundo Ordine.*
Domus de Rondenario.	Domus Breræ, Mediolani.
De Vicoboldono.	Domus Nova, Mediolani.
De Vigalono, quæ dicitur *della Carona*, Papiæ.	S. Spiritus, Mediolani.
	De Glaxiate, Mediolani.
S. Cristofori, Laude.	S. Calimerii, Mediolani.
Omnium SS., quæ dicitur *della Vinea*, Laude.	De Marliano, Mediolani.
	De Monte Forti, Mediolani.
S. Lucæ, Brixiæ.	De Carugate, Mediolani.
S. Martini, Vercellis.	S. Bartholomei, Modoetiæ.
De Galgari, Bergomi.	Medii Vici, ibi supra.
S. Crucis, Novariæ.	S. Michaelis, ibi supra.
De ultra Ticinum, Papiæ.	De Cavagnago, ibi supra.
De Capuccio, Alexandriæ.	De Zeno, Cumarum.
S. Cristofori, Vercellensis.	De Casali Majori.
De Vico superiori, Cumarum.	De Varisio.
S. Simonis, Novariæ.	De Caravagio.
Della Canonica, Mediolani.	De Fornovo, ibi supra.
Portæ Orientalis, Mediolani.	De Parma.
Portæ Vercellinæ, Mediolani.	S. Abundii, Cremonæ.
De Monchalerio.	S. Gulielmi, ibi supra.

Item Domus de primo Ordine.

S. Quirici, Astensis.
S. Mariæ, de foro Alexandriæ (1).
De Mirasole.
S. Trinitatis, Mediolani.
Domus Dei Astensis.
De Florentia.
De Tertona.
De Turino.
De Clavaxio.
S. Marthæ, Januæ.
De Pisa.
De Alba.
De Sena.
De Pinarolo.
De Pontis (*forte* de Porris) Novariæ.
S. Petri, Modoetiæ.
S. Olderici, Papiæ.
S. Germani, Januæ.
De Bononia.
De Pistorio.
S. Siri, Alexandriæ.
SS. Philippi, & Jacobi, Modoetiæ.
De Casale S. Evasii.
De Doticæ (*l.* de Ducia) nova est.
De Padua nova est.

Domus de secundo Ordine.

Domus parva, ibi supra.
S. Pauli, de Sonzino.
De Mutina.
De Regio.
Burgi S. Donini.
De Ombriano.
De Rovigo.
De Zebedo.
De Florenzola.
De Argine, Placentiæ.
S. Raimundi, ibi supra.
Domus communis, Bergomi.
De Rasulo, ibi supra.
De Gambara, Brixiæ.
De Paraquiolo (*l.* de de Palazzolo) ibi supra.
SS. Philippi, & Jacobi, ibi supra.
De Cassina, in Carate.
Della Gera, Veronæ.
S. Bartholomei, ibi supra.
S. Cristofori de Fumixello, ibi sup.
De Vicentia.
S. Thomæ, Mantuæ.
De Piranica, Cremæ.
De Vico inferiori, Curnarum.
De Aviliana nova est.
De Venetiis nova est.
De Conegliano.
De Faventia.

Et

(1) Nempe S. Baudolini, ut diximus Vol. II. pag. 60.

Et multæ aliæ domus Prælatorum, quæ nondum susceperunt ordinem Clericatus, remanserunt ad scribendum cum prædictis domibus, ut puta.

Domus de Canturio.
De Tritio.
De Canobio.
De Legnano.
De Busti Garulfi.
De Applano.
De Cislago: & nonnullæ aliæ domus de Prælatis.

Et licet multæ domus Prælatorum sint reductæ ad Præposituras; tantum eorum Præpositi in turma Prælatorum debent consedere in Capitulo generali, quod ante primum Generalem convocari solebat per quatuor Præpositos, & totidem Prælatos, cum quatuor Ministris tertii ordinis, omni anno, ex forma privilegii Innocentii tertii, ubi confirmat regulam ordinis.

Qualiter Præpositi, & Prælati Ordinis, eligi, & confirmari solent, & de mutatione Regulæ.
Cap. XXXV.

PRimo Præpositi illis temporibus, non secundum regulam Innocentii tertii, eis approbatam, sed ex privilegio, citra regulam Innocentii Præposito de Rondenario, aliisque Præpositis directo, hoc modo eligebantur. Videlicet quod de communi Fratrum consilio unus factus quasi Arbiter assumebatur: qui tres ex Fratribus (duos videlicet Clericos, & alium Fratrem) probatæ vitæ nominabat electores: qui triduano jejunio tam sibi, quam a tota Congregatione peracto, Fratrum, & Sororum voluntates inquirebant, & eum, in quem universi de Conventu, vel sanior pars secundum eorumdem vota conveniebant, dum tamen esset Clericus, in Præpositum sibi eligebant, & Prælatum. Et nota, quoad Præpositus, & Prælatus idem est, quoad obser-

vationem Regulæ, ut exemplum est de Abbatibus nigris, & Prioribus Montis Oliveti, quibus data est regula B. Benedicti. Et primo Abbatibus, qui eliguntur ad vitam, data est tam ad dignitatem, quam ad observantiam. Pro Prioribus vero Montis Oliveti, qui Priorem mutant, vel confirmant omni anno, data est, quoad observantiam, & non quoad dignitatem. Ita Humiliatis data est Prælatis primo, qui ad biennium eliguntur, quo ad observantiam; Præpositis vero, qui ad vitam eliguntur, data est ad observantiam, & ad dignitatem. Quare electus aliquis Præpositus a tribus reliquis, si de majoribus fuerat: si de minoribus, a quatuor Præpositis principalibus approbabatur. Tamen ipsi Præpositi, non ut Præpositi, qui sunt perpetui, sed ut administratores fuerunt, & sunt; quia non habent redditus, vel proventus; sed vivunt solum de bonis communibus earumdem domorum, sicut cæteri Fratres ipsarum domorum; nec per amotionem, vel obitum ipsorum Præpositorum, futuris Præpositis, vel Administratoribus, restant fructus aliqui reservandi; ut in causa probatum fuit per Fratres Vicoboldoni contra Collectorem Domini Papæ, anno Domini 1332. 28. Octobris.

Nam (*forte* Nota) eundem modum eligendi Præpositum, ut Gregorius nonus, & Innocentius quartus; salvo quod Innocentius prædictus non recitat jejunium, nec vota Sororum; & vult quod confirmatio Præpositorum fiat per Magistrum Generalem. Hæc ubi sentit de regula. Prælati vero omni anno eligebantur secundum regulam ordinis approbatam. Fratres enim in septuagesimali die in unum conveniebant: & tres eligebant de Fratribus Deum timentes, & fraternitatem diligentes: qui triduano jejunio, tam ab ipsis, quam a Congregatione peracto continuis ad Deum precibus profusis eligebant Prælatum, prout Deus ipsos inspirabat, licet carerent tonsura; vel si melius eis videbatur, tunc præsentem confirmabant. Quem, cum electus esset, inducebant ipsum in oratorium canendo, *Te Deum laudamus*: &, cum

cum ibi essent, in prælationis loco eum constituebant &c., prout in dicta regula secundum modum inthronizandi Pastorem: & sic nulla alia confirmatione egebat. Ideo Præsules ordinis, ut imaginationem (*forte* imaginor), videntes nullam jurisdictionem ordinariam habere ad confirmandum Prælatos plusquam habent in Ministros tertii ordinis, opinati fuerunt per indirectum habere: ut puta tulerunt regulam bullatam Prælatis: & eis tradiderunt formulam, de qua dictum est supra, non ordini confirmatam, in qua nulla electio, nec inthronizatio Præpositorum est notata: & inde mutaverunt titulos Prælatorum in titulis Præpositorum. Tamen, cum reverentia, minus bene fecerunt in retrahendo regulam bullatam; quia debuit eis ordinare unam constitutionem, quæ arctaret Prælatos ad accipiendum confirmationes Prælatorum, & levius, & absque peccato potuissent titulum Prælati in titulum Præpositi mutare, & talem Præpositum confirmare ad biennium, ut faciunt ex nova consuetudine, quam subtrahere prædictam regulam, cum verum sit quod ipsi Prælati non spernebant propter visitationes, & correctiones ordinis; nam ut præsumitur tria errata fecerunt Præsules ordinis, scilicet Patres Generales, maxime Magister Tiberius, quando abstulit Fratribus Breræ, & certis aliis præfatam regulam approbatam, & tradidit eis formulam prædictam. Prima fuit, quia putabat, quod jam dicta formula sequeretur ejus rubricam, & prologum, quod non facit, ut probatum est supra; & quia ipsa loquitur de Præposito, fuisset & Fratribus primi ordinis confirmata. Secundum fuit, quia putabat quod regula sublata, ut dictum est supra, in qua legitur de Prælato, ea fuisset tantum Fratribus secundi ordinis data. Tertium fuit, quia non perscrutatus fuit privilegia ordinis maxime Gregorii noni, qui ad supplicationem Præceptorum, & Ministrorum, scilicet Prælatorum ordinis, mandavit Archiepiscopo Mediolani, qui monere, ac inducere deberet omnes Humiliatos de Lombardia, & Marchia, ut profiterentur pariter, & servarent regu-

regulam, seu formam vivendi, per Innocentium Papam praedecessorem suo ordini traditam: & qui nollent hoc facere, nomine, habitu, loco, & possessionibus Humiliatorum relictis transire ad aliquem alium de ordinibus approbatis per censuram ecclesiasticam compellendo &c. Dat. decimo septimo Cal. Januarii Pontificatus sui anno primo.

Nota quod ex dicto privilegio comprehendi potest, quod ordo nondum erat principiatus in Tuscia, quodque ipse Magister Tiberius non avisavit privilegii Innocentii IV., quod recitat regulam illam, quae est a Magistro, & universis Fratribus, & Sororibus primi, & secundi ordinis Humiliatorum, tunc tam praesentibus, quam futuris servanda. Nec etiam avisatus fuit illa privilegia Honorii III., & Nicolai IV., de quibus supra. Ideo legitur, quod si caecus caecum ducit, ambo in foveam cadunt.

Et nota ante dictum Magistrum Tiberium, & ab inde citra antedictae Dominae de Blasono, & Dominae de Busti magni Dioces. Mediol. post Matutinum legi faciunt praedictam regulam Innocentii tertii: & nunquam fuerunt arctatae ad deponendum eam pro dicta formula suscipienda &c. Verumtamen non propter hoc dico fore dimittendam memoriam Beati Benedicti, quae fit in Vesperis, & in Matutinis, salvo quod in secunda Antifona, ubi cantatur, *Ipse intercedat pro cunctis Monasticae professionis*, cantare liceat, *pro cunctis nostrae professionis*; quia auctor regulae noluit interrumpere divinum Officium, ut dictum est.

Sequitur nobilitas Ordinis, quae est in Caenobiis, tunc in ordine inventis. Cap. XXXVI.

NOn taedeat legere ordinis nobilitatem antiquam, quae per me inventa fuit, ut reperi in quodam quaterno chartae pecudinae facto anno Domini 1298. tempore Fratris Guidoti tunc Generalis Magistri, ubi descripta sunt Caenobia, Fratrum, & Sororum separata, quae tunc erant de secundo, & tertio membro. Do-

Domus vero primi membri non reperi in dicto quaterno, nec extra, salvo ut supra. Et hoc credo, quia exemptæ erant a fodro ordinis, & quæ etiam de præsenti quasi ad nihilum reductæ sunt. Sed illarum Domorum, seu Cænobiorum, quas, & quas inveni, summam tantum de Civitate in Civitatem adscribam pro abbreviatione scripturæ, & ut legenti tollam tædium ut infra.

Primo in Civitate Mediolani, & in Burgis erant domus Fratrum cum suis Monachabus, viginti & una. Cænobia Religiosarum separata a Fratribus erant triginta quinque.

In Burgo Modoctiæ erant domus Fratrum cum suis Religiosabus undecim, Cænobia Religiosarum per se inibi, quinque.

In Baziana, quæ est de dicto Comitatu, erant domus Fratrum cum suis Humiliatabus duæ.

Et domus Sororum in Roxate erant una.

In Bulgaria, quæ est dictæ Diæcesis, domus Fratrum cum suis Monialibus, duæ.

In Seprio, quæ est de dicto Comitatu erant domus Fratrum, cum suis Religiosabus triginta novem, Cænobia Religiosarum, separata a Fratribus inibi supra, quindecim.

In Martexana de medio, quæ est ut supra, erant domus Fratrum cum suis Humiliatabus triginta: Cænobia Religiosarum per se erant tredecim.

In Martexana a ripa Aduæ infra erant domus Fratrum, cum suis Monacabus, viginti sex: Cænobia Religiosarum per se erant undecim.

In Insula Folcherinæ (*l.* Fulcheria), quæ est supra, & etiam ultra Aduam erant domus Fratrum cum suis Religiosabus octo.

In Crema, erant domus Fratrum cum suis Monachabus, tres: Cænobia Religiosarum per se erant unum.

In Novaria, & ejus Diæcesi erant domus Fratrum cum suis Religiosabus, undecim: Cænobia Religiosarum per se erant tredecim.

In

In Vercellis, erant domus Fratrum cum ſuis Humiliatabus, duæ: Cænobia Religioſarum per ſe erant unum.

In Caſali S. Evaſii, erant domus Fratrum cum ſuis Monachabus, unum: Cænobia Religioſarum per ſe erant unum.

In Clavaſio, in Turino, in Monchalerio, in Pinarolo, & in Alba, erant in toto domus Fratrum cum ſuis Monachabus, quinque.

In Aſt, erant domus Fratrum cum ſuis Religioſabus, duæ.

In Alexandria, erant domus Fratrum cum ſuis Dominabus, quinque.

In Aquis, erant domus Fratrum cum ſuis Humiliatabus, una.

In Janua, erant domus Fratrum cum ſuis Monialibus, duæ.

In Terdona, erant domus Fratrum cum ſuis Religioſabus, duæ.

In Papia, erant domus Fratrum cum ſuis Monachabus, tres: Cænobia Religioſarum per ſe erant tria.

In Laude, erant domus Fratrum cum ſuis Humiliatabus, quatuor: Cænobia Religioſarum erant per ſe ſeptem.

In Cremona, erant domus Fratrum cum ſuis Religioſabus, quinque.

In Caſali Majori, erant domus Fratrum cum ſuis Dominabus, tres: Cænobia Religioſarum per ſe erant unum.

In Placentia, erant domus Fratrum cum ſuis Monachabus, duæ.

In Florenzola, in Parma, in Burgo S. Donini, in Rhegio, in Modena, & in Bononia, erant in toto domus Fratrum cum ſuis Humiliatabus, ſex.

In Brixia, & in Dioceſi, erant domus Fratrum cum ſuis Monachabus, quindecim.

In Mantua, erant domus Fratrum cum ſuis Religioſabus, tres.

In Verona, & Diœceſi, erant domus Fratrum cum ſuis Religioſabus, decem.

In

In Vicentia, erant domus Fratrum cum suis Monachabus, duæ.

In Rovigo, & in Sacile erant in toto domus Fratrum cum uis Humiliatabus, duæ.

In Conegliano, erat domus Fratrum per se, una.

In Bergamo, & Diæcesi, erant domus Fratrum cum suis Religiosabus viginti, Cænobium Religiosarum per se erat unum.

In Cumis, & Diæcesi, erant domus Fratrum cum suis Humiliatabus viginti duæ, Cænobia Religiosarum erant per se sex.

In Florentia, in Pisis, in Senis, & in Paganico, erant domus Fratrum per se in toto quinque.

In S. Miniato Todesco, una.

In Civoli, una.

In Padua, una.

In Venetia, una.

In Roma, una.

Summa Domorum est trecentarum, octoginta novem.

Sequitur altera Nobilitas, quæ est in personis tunc in secundo, & tertio membro inventis. Cap. XXXVII.

NOtandum est, quod a dicto anno 1298. usque anno 1344. multas domos, scilicet centum sexaginta sex, reperio diffalcatas in Civitate Mediolani, & Diæcesi. Tamen in intervallo prædicto Ordo alibi acquisivit triginta, & octo Cænobia Fratrum, & Sororum. Unde prædicta diffalcatio restat in centum viginti octo, si quis bene perpenderit numerum cum numero domorum Ordinis juxta inventarium per me visum, & lectum, quod est in charta bombasina factum tempore Fratris Jacobi, tunc Generalis Magistri, ubi sunt descripta nomina domorum secundi, & tertii membri particulati, & numerus personarum tunc inventus, ac facultas ordinis, ut notabo infra.

Primo in Civitate Mediolani, & in Burgis erant multæ do-

mus Fratrum, & Sororum. Prima erat domus Breræ, quæ habebat Fratres triginta ſeptem, Sorores ſeptem, famulos decem.

Domus de Ottaciis Portæ Vercellinæ: Fratres duodecim, Sorores quatuor, famulum unum.

S. Spiritus Portæ Vercellinæ: Fratres duodecim, Sorores ſeptem, famulos quatuor.

De Monte forti: Fratres duodecim, Sorores ſeptem, famulos quatuor.

Portæ Orientalis: Fratres viginti, Sorores ſex, famulos quatuor.

De Glaxiate: Fratres viginti, Sorores tres, famulos ſex.

De la Canonica: Fratres novem, Sorores....... famulum unum.

De la Canova: Fratres octo, Sorores duas, famulos duos.

Domus de S. Calimero: Fratres viginti, Sorores quatuor, famulos duos.

S. Trinitatis Mediolani: Fratres quinque, Sorores...... famulos......

De Marliano: Fratres decem, Sorores quinque, famulum unum.

De Gallarate: Fratrem unum, Sorores duas, famulum......

De Carugate: Fratres quinque, Sorores ſeptem, famulos duos.

Domus Sororum.

Domus de Aziis: Sorores quindecim, famulas.....

De Blaſono: Sorores decem & octo.

De Senadochio: Sorores quindecim.

De Tegnono: Sorores decem.

De Terraggio: Sorores quatuor.

De Vigevano Portæ Orientalis: Sorores quatuor.

S. Eufemiæ: Sorores ſex.

De S. Luca: Sorores duodecim.

De

De Vigevano de la Clusa: Sorores octo.

De Circulo: Sorores quatuordecim.

De Casirate: Sorores octo.

De Brugera: Sorores decem.

De Parabiago: Sorores sex.

De Mantenariis: Sorores quatuor.

In Burgo Modoetiæ Domus Fratrum.

Domus S. Agatæ: Fratres sex, Sorores quatuor, famulos duos.

De Ripalta: Fratres duodecim, Sorores septem, famulos duos.

Domus de Medio Vico: Fratres quatuor, Sorores sex, famulos . . . . .

S. Bartholomæi: Fratres octo, Sorores tres, famulum unum.

S. Michaelis: Fratres decem, Sorores octo.

De Cavenago: Fratres septem, Sororem unam, famulum unum.

Domus Subturrem: Fratres . . Soror. . . fam. . .

De Puteo Vagheto: Fratres quinque, Sorores . . . fam. . .

Inibi erant Domus Sororum.

De Puteo Vagheto, quæ habebat Fratres. . . . Sorores undecim, famulos . . . .

De Bernadigio: Sorores undecim, famulam unam.

In Baziana, & Bulgaria erant Domus Fratrum, & Sororum.

Domus de Vicoboldono: Fratres viginti & octo, Sorores septem, famulos octo.

De Mirasole: Fratres viginti novem, Sorores undecim, famulos quatuor.

De Roxate: Fratres . . . . Sorores septem.

Domus Sororum Nova, & Vetus de Corbeta, Sorores undecim, fam . . . .

In Seprio erant multæ Domus Fratrum.

Domus de Canobio: Fratres septem, Sorores tres, famulos....

De Montebello: Fratres ſex, Sorores octo, fam . . . . .

Domus Vetus de Variſio: Fratres duodecim, Sorores duodecim.

De Fagnano: Fratres tres, Sorores octo.

De Solbiate: Fratres octo, Sorores octo.

De Legnano: Fratres octo, Sorores ſex.

De Archonate: Fratres tres, Sorores tres.

Domus Fratris Bronzi in Buſti Garulfi: Fratres ſex, Sorores ſeptem, famulos . . . . .

De Caſtignolo inibi: Fratres duos, Sorores ſex, famulos . . .

De Cornaredo inibi ſupra: Fratres novem, Sorores ſeptem, famulos . . . . . .

De Cardano in Aplano: Fratres decem, Sorores tres, famulos . . . . . .

De Ciſtelago: Fratres octo, Sorores ſex.

. . *Inibi erant multæ Domus Sororum.*

Domus de Varixio: Sorores ſex.

De Bimio: Sorores duodecim.

De Maſnagho: Sorores octo.

De Caſtiliono: Sorores quatuor.

De Caſſano Magnagho: Sorores quatuor.

Domus altera de Caſſano: Sorores ſex.

De Ponzano: Sorores quatuor.

De Sarono: Sorores ſex, famulas duas.

De Soma: Sorores octo, famulas duas.

De Capite Vici de Gallarate: Sororem unam, famulam unam.

S. Michaelis ibi ſupra: Sorores ſeptem, famulas duas.

De Samarate: Sorores quinque.

De Caſtano: Sorores novem.

Domus altera de Caſtano: Sorores ſeptem.

De Inverunio: Sorores ſex.

De Parabiago: Sorores quatuor.

De

De la Mara in Busti Garulfi: Sorores sex.

De la Piscina in Busti Arsicii Magni: Sorores tres.

De Platea ibi supra: Sorores sex.

De Brosano: Sorores duas.

De Lonate: Sorores duodecim.

Domus Nova ibi supra: Sorores . . . . famulas . . . .

In Martesana de medio erant plures Domus Fratrum.

De Lissono: Fratres sex, Sororem unam, famulum unum.

De Desio: Fratres quatuor, Sorores tres.

De Campo rotundo de Canturio: Fratres sex, Soror . . . . fam . . . .

De Planela ibi supra: Fratres sex, Sorores . . . . .

De Cassina de Carate: Fratres decem, Sorores sex.

De Crimela: Fratres duos, Sorores quatuor, fam . . . .

De Bisteto: Fratres duos, Sorores quatuor.

Inibi erant aliquæ Domus Sororum.

Domus de Lissono: Fratres . . . Sorores tres.

De Seregno: Sorores quatuor.

Domus Nova ibi supra: Sorores quinque.

De Nuce: Sorores duodecim.

De Briosco: Sorores septem, famulam unam.

De Besana: Sorores septem, fam. . .

De Casirago: Sorores quinque, fam. . .

De Senago: Sorores sex, fam. . . . .

In Martesana a ripa Abduæ infra erant duæ Domus Fratrum.

De Cisnuscholo Lombardone, quæ erat viduata Fratribus; Domus de la Costa, de Tritio, quæ habebat Fratres sex, Sorores tres.

Inibi supra erant multæ Domus Sororum.

Domus de Pioltello: Sorores octo, famul. . . .

Domus altera ibi supra: Sorores novem, famul. . . .

De Sexto: Sorores quatuor.

De

De Busnago: Sorores tres.

De Cugnolo in Vicomercato: Sorores novem.

De Capitevici ibi supra: Sorores octo.

De la Valle ibi supra: Sorores novem.

De Bernadigio: Sorores novem, fraterculum unum.

De Merate: Sorores quinque, fraterculum unum.

De Archori: Sorores septem, famul. . . . . .

De Gorgonzola: Sorores sex, famul. . . . .

De Inzago: Sorores sex.

De Cassano: Sorores quinque.

In Insula Folcherinæ ultra Abduam erant certæ Domus Fratrum, & una Domus Sororum.

De Ripalta: Fratres quinque, Sor. . . . famul. . . . .

De Vailato: Fratres tres, Sorores quatuor, famul. . . . .

De Trivilio: Fratres sex, Sorores octo, famul. . . . .

De Calvinzano: Fratres quatuor, Sorores tres.

De Caravagio, Fratres undecim, Sorores quatuor.

De Fornovo ibi supra: Fratres octo, Sorores tres, famul. .

De Bregnano: Fratres quinque, Sorores tres.

Domus Sororum de Ripalta: Sorores sex, famul. . . . .

In Cumis, & Diœcesi erant multæ Domus Fratrum.

De Rondenario: Fratres sexdecim, Sorores duas, famulum unum.

De Vico superiori: Fratres novemdecim, Soror. . . . fam. quatuor.

De Vico inferiori: Fratres octo, Sororem unam, fam. unum.

De Zeno: Fratres sex, Sorores undecim, famulos duos.

De Olgiato in Diœcesi: Fratres quatuor, Sor. quinque.

De Tremelio: Fratres sex, Soror. duodecim.

De Adevena: Fratres quinque.

De S. Gregorio: Fratres sex, Sorores septem.

De Domasio: Fratres quinque, Sororem unam.

De

De Surigo: Fratres undecim, Sorores quinque.
De Lugano: Fratres quatuor, Sorores ſeptem.
De Aſtano: Fratres octo, Sorores ſex.

Inibi ſupra erant certæ Domus Sororum.

De Ponteſcllo: Sorores octo, fam. . . . .
De S. Vitale: Sorores decem, fraterculum unum.
Domus Fratris Gandulfi: Sorores octo.
De Treſivio: Sorores ſeptem.
De Tilio inferiori: Sorores octo.
De Campo: Sorores tres.
De Bellano: Sorores ſeptem, fraterculum unum.
De Dervio: Sorores ſeptem, famulum unum.
De Menaſio: Sorores quinque, fraterculum unum.
De Gravedona.
De Landragno Clavennæ: Sorores ſeptem, fraterculum unum.
De Mendriſio: Sorores . . . . . .
Domus altera de Mendriſio: Sorores ſeptem.
De Lugano: Sorores octo.
De Locarno: Sorores undecim.
De Cordula: Sorores octo.

In Pergamo, & Diœceſ. erant multæ Domus Fratrum, & duæ Sororum.

De Galgari: Fratres viginti duos, Sorores quatuor, fam. tres.
Domus, quæ dicitur Communis: Fratres viginti tres, Sorores tres.
S. Bartholomæi: Fratres octo, Sorores tres, famulos tres.
De Ciſerano: Fratres ſex, Sorores duas, famulos duos.
De Butanugo: Fratres quinque, Soror. . . fam. . .
De Oſio: Fratres ſex, Sorores quinque, famul. . . .
De Bienzano: Fratres octo, Sorores . . . famul. . . .
De Burgolomeno: Fratres quatuor, Sororem unam.
De Burlecha ibi ſupra: Fratres ſex, Sorores ſeptem.

Do-

Domus Sororum de Orsanega: Sorores quatuor, fraterculum unum.

In Brixia, & Diœcesi erant certæ Domus.

Domus de Gambara: Fratres duodecim, Sorores tredecim, famul. tres.

De S. Luca: Fratres decem, Sorores septem, famul. unus.

De Medio: Fratres quinque, Sorores tres.

De Palazolo: Fratres undecim, Soror. tres, fam. . . .

SS. Philippi, & Jacobi: Fratres octo, Soror. sex, fam. . . .

De Contignagha: Fratres novem, Soror. duæ, fam. . . .

S. Faustini: Fratres septem, Sorores duæ.

De Monteclaro: Fratres quatuor, Soror. duæ.

De Cemo in Diœcesi: Fratres decem, Sorores undecim.

In Verona erant aliquæ Domus Fratrum, & una Sororum.

De la Glara: Fratres duodecim, Sorores decem & novem, famul. duos.

De Albaria: Fratres tres, Sorores quatuor.

De la Levata: Fratres quinque: Soror. quatuor, fam. duos.

S. Christophori de Flumicello: Fratres decem, Sorores sex.

De Roverchiara: Fratres septem, Sorores quatuor, famul...

De Jebeto: Fratres octo, Sorores decem, famul. . . .

De Roncho: Fratres decem, Soror. octo, famul. duos.

De Tomba: Fratres decem, & Sorores undecim.

De Baldaria: Fratres sex, Sorores duodecim.

Domus Sanctorum de la Beverata: Fratres undecim, famulum unum.

In Mantua, & Vicentia erant duæ Domus Sororum.

S. Thomæ de Mantua: Fratres octo, Sorores novem, famulos duos.

De Rovigo: Fratres quinque, Sorores quatuor.

De Sacile: Fratrem unum, Sorores sex.

In

In Toscana erant certæ Domus Fratrum, & una Sororum.

Omnium SS. Florentiæ: Fratres quadraginta & unum, Sorores . . . . famulos quinque.

S. Thomæ de Sena: Fratres novemdecim, Sorores . . . , famulos quatuor.

S. Torpetis de Pisa: Fratres decem, Soror. . . famul. duos.

De Elbiniato: Fratres tres, Soror. . . . famul. unum.

De Civoli: Fratres quatuor, Soror. . . . famul. . . .

Domus Sororum de Monteugo: Sorores quindecim, fraterculum unum.

De Pistorio: Fratres viginti, Sorores . . . famulos duos.

In diversis Civitatibus, & Burgis erant multæ Domus Fratrum, & una Sororum.

Domus de Parma: Fratres triginta tres, Sorores octo, famul. tres.

De Rhegio: Fratres septem, Sorores duas, famul. . . .

De Modena: Fratres novem, Sorores tres, famul. duos.

De Florenzola: Fratres . . . Soror. . . . famul. . . .

De Bononia: Fratres decem, Sorores duas.

De Faventia: Fratres quatuor, Soror. . . famulos duos.

Domus Burgi S. Donnini: Fratres undecim, Sorores . . . . famul. unum.

Domus altera de Florenzola: Fratres decem, Sorores septem, famul. . . . .

Domus de Parigo in Parigo: Fratres . . Soror. . . fam. . .

S. Spiritus de Placentia: Fratres sex, Soror... famul. unum.

De Argine in Placentia: Fratres quinque, Sororem unam, famulum unum.

Domus Sororum de Arimini: nihil fuit examinata.

In Alexandria, & in Aquis, & in Casali erant certæ domus Fratrum.

S. Joannis de Capuccio: Fratres quadraginta & unum, So-

rores fexdecim, famul. fex.

S. Siri ibi fupra: Fratres octo.

S. Matthæi ibi fupra: Fratres novemdecim, Sorores feptem, famul. . . . .

S. Baudolini ibi fupra: Fratres quindecim, Sorores tredecim, famulum unum.

De Aquis in Aquis: Fratres feptem, Sorores feptem.

De Cafali Majori: Fratres . . . Soror. . . . famul. . . .

In Pedemontium erant Domus Fratrum.

De Clavafio: Fratres fexdecim, Sorores feptemdecim, famul. duos.

De Taurino: Fratres duodecim, Soror. quindecim, fam....

De Monte Chalerio: Fratres feptem, Soror. octodecim.

De Pinarolo: Fratres octo, Soror. duodecim.

S. Mariæ Cafali S. Evafii: Fratres tres, Soror. undecim.

S. Bartholomæi ibi fupra: Fratres duodecim, Soror. duodecim, famul. duos.

Domus Dei Aft: Fratres octo, Sorores viginti fex, fam. duas.

S. Quirici Aft: Fratres duodecim, Sorores viginti octo, famul. unum.

De Alba: Fratres novem, Sorores viginti feptem, fam. duos.

In Vercelli erant Domus duæ Fratrum, & una Sororum.

S. Criftofori: Fratres viginti quinque, Sorores quindecim, famul. tres.

S. Martini: Fratres quatuor, Sorores fexdecim.

Domus Sororum S. Agatæ: Soror. decem, famul. duas.

In Novaria, & Diæcefi erant certæ Domus.

S. Simonis: Fratres tredecim, Sorores feptem, fam. duos.

S. Crucis: Fratres tredecim, Sorores quatuor, famul. duos

S. Joannis de Porris: Fratres novem, Sorores quinque.

De Gullari: Fratres duos, Sorores octo, famul. . . .

Inibi.

Inibi supra erant Domus Sororum.

De Longirolo: Soror. . . . fam. . . .

De Stresa: Soror. . . . fam. . . .

De Brenate in Novaria: Soror. 12.

De Romentino ibi supra: Soror. 9.

S. Nicolai ibi supra: Soror. 9.

S. Thomæ ibi supra: Soror. 16.

De Archamaria inibi: Sorores 10.

De Galiate foris: Soror. 11.

De Galiate intus: Soror. 8.

S. Agapiti: Soror. 9.

De Trechate: Soror. 11.

Domus Vetus de Cerano: Soror. 11.

Domus Nova ibi supra: Soror. 12.

De Castello inibi: Soror. 12.

De Momo: Soror. 9.

De Varalli: Sor. 9., fam... hæc habet nunc Prælatum solum.

De Pombia: Soror. 5.

De Burgo Ticini: Soror. 9.

De Peranza . . . . . fam. . . . . .

De Sorisia: Soror. . . . . fam. . . . .

In Laude erant duæ Domus Fratrum, & plures Sororum.

S. Cristofori: Fratres sex, Sorores . . . . famul. unum.

Omnium SS., quæ dicitur de la Vinea: Fratres quinque, Soror. . . . famul. unum.

Domus Sororum de Palude (*l.* de Paulo): Soror. 9., famul. duas.

De Indenariis: Soror. 11., famulas . . . .

De Varisella: Soror. 11.

S. Blasii: Soror. 9.

S. Thomæ: Soror. 9.

S. Benedicti: Soror. 7., famulas . . . .

In Cremona erant nonnullæ Domus Fratrum.

Domus S. Abundii: Fratres viginti duos, Sorores . . . . . famul. duos.

S. Gulielmi, quæ dicitur S. Caterinæ: Fratres 15., Sorores . . . . famul. unum.

De Soncino ibi supra: Fratres decem, Sorores . . . famul. duos.

Domus, quæ dicitur Parva: Fratres sex, Sororem . . . . . famul. . . . . .

Domus de Castro Sonzini: Fratres sex, Sororem unam, famulum unum.

In Crema erant tres Domus Fratrum.

SS. Jacobi, & Philippi: Fratres sex, Sorores 7., fam. . . .

S. Martini: Fratres 4., Sorores 4., famulum unum.

S. Marini: Fratres 7., Sorores 4., famulum unum.

In Papia, Tertona, & Janua erant certæ Domus Fratrum.

De Vigalono, quæ dicitur *della Carona*: Fratres quinque, Sorores 13.

S. Olderici: Fratres tredecim, Sorores tres, famul. 18.

S. Marci de Tertona: Fratres 13., Sorores 14., famul. 2.

S. Barnabæ ibi supra: Fratres 4., Sorores 17., fam. unum.

S. Marthæ Januæ: Fratres 15., Sorores 15., famul. 4.

S. Germani inibi: Fratres 3., Sorores 14., famul. 2.

De augmentatione Ordinis a dicto anno 1344.
Cap. XXXVIII.

PRima fuit domus de la Vinea de Laude, seu Prioratus Sancti Joannis, quæ erat sub Episcopo Laude: cui postea unita fuit antiqua domus, seu Præpositura omnium SS. Laudensis Diæcesis.

Altera fuit domus de Ducia de Episcopatu Bononiæ, quæ nunc habet solum fraterculum.

Altera

Altera fuit domus S. Trinitatis de Aviliana, quæ habet nunc Fratres quinque, Sorores . . . . fam. . . . .

Altera fuit domus S. Cristofori de Venetiis, quæ nunc habet Fratres quatuor, Sorores . . . . fam. . . . .

Altera fuit domus de Padua S. Francisci, quæ nunc non habet Fratres, Sorores . . . .

Altera fuit domus Dominarum de Nova, quæ erat sub Domino Archiepiscopo Mediolani. Unita fuit, cum domo Dominarum de Blasono Mediolani an. 1406., & erant in dicta domo, quæ se univerunt cum suis bonis.

Altera fuit domus S. Cæciliæ de Roma, quæ nunc habet Fratres septem, Sorores 4., fam. . . . . .

Altera fuit domus de Paganico Florentiæ, quæ nunc habet Fratres . . . . Sorores . . . .

Altera fuit domus de Carentino Alexandriæ, quæ nunc habet Fratres . . . . Sorores . . . .

Summa prædictarum Domorum est ducentarum sexaginta octo.

Sancti, & Beati Ordinis Humiliatorum. Cap. XXXIX.

Beatus Guido, Domus Portæ Orientalis Mediolani, qui huius Religionis fundator extitit.

Beatus Joannes de Cumis primus Presbyter.

Beatus Jacobinus de Senis Cardinalis.

Beatus Andreas Senensis.

Beata Blanca de Senis.

S. Baudolinus Episcopus de Alexandria

S. Homobonus de Cremona.

S. Constantius de Brixia.

S. Pincininus Episcopus Brixiensis.

S. Holinus in Domo Dei Ast.

Beatus Horicus de Vercellis.

Beata Bruna de Vercellis.

Bea-

Beatus Petrus de Corino.

Beatus Lucas de Florentia Cardinalis.

Beatus Rainerius de Janua.

Beatus Tiberius de Parma Generalis.

S. Torpetus Martyr de Pisis.

Beatus Ubertus de Mediolano de Landriano, & erat Frater in domo Ottaciorum Mediolani, & ibi est Corpus.

Beatus Albericus de Gambara Brixiæ.

Forma inthronizationis Præpositi, vel Prælati. Cap. XL.

FActa electione, vel approbatione in Capitulo, sive litteris confirmationis, incipiant: *Te Deum &c.*, & eant in Ecclesia cantando totum. Postea Psalmus *Miserere*. Psal. *Ecce quam bonum: Gloria Patri. Kyrie, Christe, Kyrie. Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* ℟. *Sed libera.* ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tueatur te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor &c.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo, & dirige eum secundum clementiam tuam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & te adjuvante tota virtute perficiat. Per Christum &c.*

Postea aspergat incenso, & aqua benedicta, & surgens vadat ad sedendum in loco suo in Choro. Et qui inthronizat dat sibi regulam, & sigillum, dicens: *Committo tibi curam animarum Fratrum, & Sororum istius domus tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Deus det tibi gratiam, quod bonam de ipsis reddere rationem possis, ne tua negligentia cujusquam anima pereat; & de manu tua requiratur.*

Tunc omnes Fratres dant sibi manum obedientiæ, & osculum pacis devote præbent. Deinde ipsi Præposito claves Ecclesiæ, & domus in manibus suis assignentur: Portas Ecclesiæ claudat, & aperiat, campanamque pullet: hoc facto Instrumentum publicum de omnibus peractis confici faciat. NEC-

NECROLOGIUM
HUMILIATORUM BRIXIENSIUM
DOMUS DE GAMBARA,

postea Novariensium Domus S. Crucis (1).

OBiit Domina Orielda Uxor Domini Jacobi Trentini sub millesimo CC. quinquagesimo nono indictione II.

JANUARIUS.

IIII.	Non. Janu.	Obiit Soror Desiderata.
	Nonis Janu.	Obiit Soror Pina.
VIII.	Idus	Obiit Domina Bellavita Soror Fratris Alberici.
VII.	Idus	Obiit Soror Biniana.
III.	Idus	Obiit Soror Vivelda d'Ello.
		Obiit Frater Ma...... de Calino.
II.	Idus	Obitus Fratris Delaydi de Urciis.
XVIII.	Kal. Februarii.	Obiit Soror Imiola.
XVII.	Kal. Feb.	Obiit Soror Colomba.
XVI.	Kal. Feb.	Obiit Soror Richa.
		Obiit Frater Guithottus.
XIIII.	Kal.	Obiit Soror Honesta.
XIII.	Kal. Feb.	Obiit Frater Mayfredus de Judaico.
XII.	Kal. Feb.	Obiit Frater Petrus.

X. Kal.

(1) Necrologium hoc, quod paullo post XIII. seculi initia conscribi ceptum videtur, extat apud eruditissimum Virum D. Carolum March. Trivultium, a quo humanissime nobiscum communicatum fuit. Hæc porro præsertim de caussa libentissime illud proferimus, quod tota fere B. Alberici de Gambara, de quo Vol. I. pag. 256., & Vol. II. pag. 76. sermo fuit, familia hinc innotescit, & Alberici mortis tempus, simulque tertio tantummodo Humiliatorum Ordini adscriptum illum fuisse constat.

X.	Kal. Feb.	Obiit Frater Amandus.
		Obiit Soror y...... na......
VIII.	Kal. Feb.	Obiit Frater Ottobonus.
		Obiit Frater Viſcardus.
		Obiit Soror Mafea de Gambara.
		Obiit Soror Ymia de Ponzano.
VII.	Kal. Feb. 1507.	Obiit Reverendus Dominus Frater Donatus de Septara Præpoſitus Domus S. Crucis, anima requieſcat in paze.
V.	Kal. Feb.	Obiit Soror Richilda de Palazo.
		Obiit Frater Albertus de Toreſella.
IIII.	Kal. Feb.	Obiit Soror Beatrix de Chizolis milleſimo CCLXXIIII.

FEBRUARIUS.

	Kal. Februarii.	Obiit Frater Franza de Gambara.
III.	Nonas	Obiit Soror Recordata.
		Obiit Soror Julia.
	Nonas	Obiit Soror Beatrix.
VIII.	Idus	Obiit Frater Bonaventura de Buanno ſub MCCXXXVIII.
VI.	Idus	Obiit Soror Jema.
V.	Idus	Obiit Frater Lafranehus Gula.
II.	Idus	Obiit Frater Brixianus de Ida.
	Idus	Obiit Soror Bevenuta.
XV.	Kal. Martii.	Obiti Frater Bartolomæus.
XIIII.	Kal.	Obiit Frater Omobonus de Gambara.
		Obiit Frater Ugo de Gambara.
XII.	Kal.	Obiit Soror Gilla de Gambara.
XI.	Kal.	Obiit Soror Victoria.
		Obiit Frater Fac.
X.	Kal.	Obiit Soror Beatrix C.
		Obiit Frater Girardus de Aqua nigra ſub

		ſub milleſimo CCLXVI.
		Obiit Frater Teutaldus.
IX.	Kal.	Obiit Soror Maria de Freganiulis.
VII.	Kal.	Obiit Soror Brixiana.
VI.	Kal.	Obiit Soror Ymolda.
V.	Kal.	Obitus Sororis Concordiæ de Quinzano.
IIII.	Kal.	Obiit Antoniolus de Budiano Benefactor hujus Domus.
		MARTIUS.
	Kal.	Obiit Soror Belladona.
V.	Nonas	Obiit Imelda uxor Fratris Albrici (1).
IIII.	Nonas	Obiit Soror Agnella.
VIII.	Idus	Obiit Soror Bonafant.
IIII.	Idus	Obiit Soror Beneventura.
		Obiit Soror Monaca.
III.	Idus	Obiit Berta Soror.
XVII.	Kal. Aprilis.	Obiit Frater Boninſegna de Gambara MCCLXXXVIIII.
XVI.	Kal.	Obiit Frater Mafeus de Perueziis.
XV.	Kal.	Obiit Frater Ugo de Calvixano ſub MCCXXX.
XIIII.	Kal.	Obiit Soror Adhelaſia.
XIII.	Kal. 1522.	Obiit Frater Alexander de Gera Fr. S. Crucis Novariæ, qui quieſcit in eadem Eccleſia.
XI.	Kal.	Obiit Frater Amadeus.
X.	Kal.	Obiit Soror de Laguaro.

(1) Vides hic B. Alberici de Gambara uxorem commemorari. Ita ſuperius VIII. Id. Jan. Bellavita ejus ſoror; XI. Cal. Maji Gisla ejus mater; XV. Cal. Oct. Joannes ejus pater, & III. Id. Oct. Armelina alia ejuſdem Alberici ſoror; & V. Cal. Jan. Albertus Alberici filius.

IX. Kal. Obiit Boneventura Soror.

VIII. Kal. Obiit Martinus Novitius.

Anno Domini MCCXVIIII. obiit Dominus Jacobus Trentinus, qui hujus Domus fuit quasi Pater, & Benefactor in omnibus prout potuit.

Obiit Frater Martinus de Mezanis.

IIII. Kal. Obiit Soror Meliorata.

Obiit Soror Assevula.

II. Kal. Obiit Dominus Andreas de Gambara.

Obiit Frater Bonaventura de Gambara MCCLXXXXII.

APRILIS.

I. Kal. Obiit Soror Imelbona.

IIII. Nonas Obiit Dominus Frater ALBRICUS DE GAMBARA, Minister hujus Congregationis, Pater, & Benefactor Maximus omnium Domorum Humiliatorum hujus Terræ, & etiam totius Ordinis anno Domini MCCLII.

Nonas Obiit Frater Jacobus.

Obiit Frater Michilinus millesimo CCLXXXII.

VII. Idus Obiit Soror Rotunda millesimo CCLXVI. Indictione nona

VI. Idus Obiit Soror Amata.

V. Idus Obiit Frater Jacobus Bedoseus.

III. Idus Obiit Soror Michara.

II. Idus Obiit Frater Albertus Vitula sub millesimo CC. quinquagesimo nono.

Obiit Frater Benadusius MCCC.

Idus Obiit Soror Talia.

Obiit

		Obiit Frater Paganinus ſub MCCXXXVIII.
		Obiit Frater Boſius
XVI.	Kal.	Obiit Frater Celſus ſub MCCLXXXX.
XIIII.	Kal.	Obiit Frater Martinus ſub MCCXXXVIIII.
XIII.	Kal.	Obiit Soror Agnes ſub MCCLXII.
XI.	Kal.	Obiit Soror Giſsla Mater Fratris Albricii.
		Obiit Soror . . . . .
		Obiit Frater Plevanus.
X.	Kal.	Obiit Soror Magdalena de Caſtello.
		Obiit Frater Paſcal de Baxano MCCC.
VII.	Kal.	Obiit Frater Antonius de Quinzano.
VI.	Kal.	Obiit Soror Quarentina.
		Obiit Patientia.
IIII.	Kal.	Obiit Soror Otta.
		Obiit Frater Girardus de Glaria.
III.	Kal.	Obiit Frater Girardus
II.	Kal.	Obiit Soror Ymeldina ſubMCCXXVIIII.
		Obiit Frater Aron de Gambara in Civitate Mediolanenſi ſub milleſimo CCLVIIII. Indictione II.
		MAJUS.
	Kalendas	Obiit Soror Catelina de Palazolo.
VI.	Nonas	Obiit Frater Boverinus ſub MCCXLIIII.
III.	Nonus	Obiit Domina Benacotta.
		Obiit Soror Sibilla.
II.	Nonas	Obiit Frater Aymericus MCCLXXII.
	Nonas	Obiit Soror Beatrix Domina, & Miniſtra Domus de Pontevico ſub milleſimo CCLVIIII. Indictione II.
VIII.	Idus	Obiit Soror Fomia.

VII.	Idus		Obiit Frater Venturinus ſub MCCXXXVIII.
			Obiit Frater Manfredus de Arbuſco.
V.	Idus		Obiit Soror Fomia.
II.	Idus		Anno Domini MCCLXXXXVII. Obiit Frater Odelli.
	Idus	1524.	Obiit Frater Andreas de Tornielis S. Crucis Novariæ, qui jacet in S. Marco Novariæ.
XV.	Kal.		Obiit Frater Arnoldus. Obiit Soror Stefania MCCCXLIII.
XI.	Kal.		Obiit Soror Gisla Scazera.
VIIII.	Kal.		Obiit Soror Bonefactia.
			Obiit Soror Coſa.
VIII.	Kal.		Obiit Dominus Girardus Alamanius Benefactor hujus Domus.
			Obiit Soror Mabilia de Baxano.
II.	Kal.		Obiit Frater Joannes de Pontolio ſub milleſimo CCLXX. Indictione XIII.
			JUNIUS.
	Kalendas.		Obiit Soror Gema.
IV.	Nonas		MCCXXIIII. He. e. Obitum Soror Cecilia die Veneris quarto menſis Junii.
III.	Nonas		Obiit Fr. Petrus de Herbuſco MCCXLI
VIII.	Idus		Ob. Fr. Philippus de Gaydo MCCCXLII.
IIII.	Idus		Obiit Soror Gregore (*forte* Gregoria) Vicemagni MCCLXXXVII.
III.	Idus		Obiit Soror Beatrix.
			Obiit Fr. Gratiolus.
II.	Idus		Obiit Fr. Burgiſins Prælatus Domus Humiliatorum de Gabara (*forte* de Gam-

			Gambara) MCCLXXXXVII. XI. Jun.
			Obiit Soror Agnes.
XVIII.	Kal.		Obiit Fr. Girardus.
			Obiit Frater Joannes Minister hujus Domus maximus omnium Domorum Humiliatorum hujus Terræ MCCLXXXXVIIII. XVIII. Junii.
XVII.	Kal.		Obiit Soror Mansueta.
			Obiit Soror Agmellina MCCLXXXVII.
XVI.	Kal.		Obiit Soror Boninsegna.
XIIII.	Kal.		Obiit Fr. Bonomus.
XIII.	Kal.		Obiit Fr. Raymondus de Eseno.
XII.	Kal.		Obiit Soror Jacomina.
X.	Kal.		Obiit Margarita de Pallatio.
IX.	Kal.		Obiit Frater Salvinus de Pergamo MCCCXLIII.
VII.	Kal.		Obiit Fr. Sibonus de Buarno sub millesimo CCL. nono Indictione secunda.
			Obiit Fr. Joanninus de Mezano sub MCCLXXXXIX.
VI.	Kal.		Obiit Fr. Albertus de Gurhezolo.
V.	Kal.		Obiit Soror Richelda de Vitalasco.
IIII.	Kal.		Obiit Soror Orielda de Ugonibus.
II.	Kal.	1524.	Obiit Fr. Bernardinus de Brusatis, professus hujus Domus, quamvis hujus hosa requiescit in S. Eustagio ad Torionum.
			JULIUS.
IIII.	Nonas	1524.	Obiit Frater Bernardinus de Brusatis S. Crucis Novariæ, & est sepultus in Ecclesia S. Eustachii ad Torionum.
III.	Nonus		Obiit Soror Fomia.

Obiit

		Obiit Soror Armelina.
		Obiit Frater Benedictus de Mantua.
II.	Nonas	Obiit Dumpiengus Sacerdos.
XI.	Idus	Obiit Fr. Vyaconus sub MCCLXII.
IIII.	Idus	Obiit Fr. Pasquinus de Paytono.
II.	Idus	Obiit Fr. Joannes Bonus de Gambara.
		Obiit Fr. Albertus de Gambara.
	Idus	Obiit Soror Athelasa.
XVII.	Kal. Augusti.	Obiit Soror Saviola.
XV.	Kal.	Obiit Soror Bonafant.
XIIII.	Kal.	Obiit Fr. Joannes.
		Obiit Fr. Tonolus de Pergamo Præpositus S. Mariæ, & omnium Sanctorum de Galgari MCCCCLXII.
		Obiit Fr. Petrus Bonus de Buarno sub millesimo CCL. Indictione secunda.
XIII.	Kal.	Ob. Soror Bellachara MCCLXXXXIII.
XII.	Kal.	Obiit Fr. Martinus de Essenno.
X.	Kal.	Obiit Fr. Rialdus.
VIII.	Kal.	Obiit Fr. Peracinus.
VI.	Kal.	Obiit Soror Brixiania sub MCCXXXII.
V.	Kal.	Obiit Fr. Paganinus sub MCCXLVIII.
IIII.	Kal.	Obiit Fr. Marchisus.
II.	Kal.	Obiit Soror Bruna de Alberticulis millesimo CCCII.

AUGUSTUS.

IIII.	Nonas	Obiit Fr. Marinus.
II.	Nonas	Obiit Soror Lucia de Tosabechis MCCLXXXXVIII.
	Nonas	Obiit Fr. Lanfranchus de Turicella.
		Obiit Domnus Bonaventura Archipresbyter de Erbusco.

VIII.

VIII.	Idus	Obiit Fr. Joannes de Calino.
III.	Idus	Obiit Frater Albertus de Fleſſo ſub MCCLXVIII. Indictione XI.
XVIII. Kal. Septembris.		Hic obiit Fr. Venturinus de Perualio MCCCXIII.
XVII.	Kal.	Obiit Fr. Obizus.
XII.	Kal.	Obiit Soror Maddalena.
XI.	Kal.	Obiit Soror Patientia.
VI.	Kal.	Obiit Dominus Albertus Bruſiadus.
IIII.	Kal.	Obiit Soror Ymelda.
II.	Kal.	Obiit Soror Ghisla de Gambara ſub milleſimo CCC. primo.
		Obiit Dominus Azius Vicedominus Canonicæ Majoris de Brixia milleſimo CCCII.

SEPTEMBER.

	Kalendas	Obiit Soror Bevenuta de Mediolano.
IIII.	Nonas	Obiit Soror Otta.
		Obiit De-la-ſalif.
	Nonas	Obiit Soror Domina Concordia, quæ hujus Domus tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus fuit Mater, & Domina ſub MCCLXXXVIIII.
VIII.	Idus	Obiit Soror Imelda.
VII.	Idus	Obiit Fr. Betinus de Seriate.
VI.	Idus	Obiit Dompnus Jacobus de Nuce.
V.	Idus	Obiit Soror Gisla Cerata de Gambara.
IIII.	Idus	Obiit Soror Domina Cerata ſub milleſimo CCLXVII.
II.	Idus	Obiit Joannes Pater Fratris Zilioli MCCCLXI.
	Idus	Obiit Fr. Dominicus de Buirno.

Obiit

		Obiit Soror Stephania de Gambar.
		Obiit Fr. Joannes de Crema.
XVI.	Kal. Octobris.	Obiit Soror Brixiana.
		Obiit Frater Brixianus.
		Obiit Soror Elena.
XV.	Kal. Octobris.	Obiit Dominus Joannes Pater Fratris Albrici Frater, & Hedificator hujus Domus (1).
XIIII.	Kal. Octobris.	Obiit Dominus Archipresbyter Majoris Ecclesiæ sub MCCXXXII.
VII.	Kal.	Obiit Soror Perpetua.
III.	Kal.	Obiit Frater Valentinus.
I.	Kal.	Obiit Soror Benevenuta.

OCTOBER.

	Kalendas	Obiit Soror Humilitas de Pallatio sub millesimo CCLXXI. Indictione XIIII.
		Obiit Fr. Boneius de Gambara millesimo CCLXXXVI. Indictione XIIII.
VI.	Nonas	Obiit Fr. Aricus Novitius hujus Congregationis.
		Obiit Fr. Salvoldus.
	Nonas	Obiit Soror Valeria.
III.	Idus	Obiit Domina Armelina Soror Fratris Albricii, quæ hujus Domus tam in temporalibus, quam in spiritualibus fuit

(1) Domum de Gambara ab Alberico ipso fundatam diximus Vol. I. pag. 76., Brixiensium monumentorum auctoritate freti. Hic tamen videmus Joanni Alberici Patri ejusdem Domus ædificationem tribui. Quin etiam in Alberici elogio superius recitato, ille quidem hujus Domus Minister, & Domorum omnium Pater, & Benefactor, non tamen Domus ejusdem Fundator dicitur. Sed hæc forte conciliari possunt si dicamus, Patrem, ac Filium communi consilio atque ære Cænobium illud construxisse.

		fuit Hedificatrix, & Mater fub MCCXLVIIII.
XVII.	Kal. Novembris.	Obiit Soror Caracofa de Pedezochis fub MCCLXX. Indictione XIII.
VI.	Kal.	Obiit Frater Joannes de Rebecho.

NOVEMBER.

	Kalendas	Obiit Soror Adthelafa.
III.	Nonas	Obiit Frater Albertinus de Turizellis fub MCCXXXVIII.
II.	Nonas	Obiit Soror Jacobina.
	Nonas	Obiit Soror Bellacara.
		Obiit Soror Ymelda fub MCCLII.
VIII.	Idus	Obiit Frater Girardus Prælatus Domus de Gambara die VIII. Novembris millefimo CCCVII.
XVIII.	Kal. Decembris.	Obiit Soror Salvera.
XVI.	Kal.	Obiit Soror Regal.
XV.	Kal.	Obiit Soror Mantuana.
XII.	Kal.	Obiit Soror Bonafemina.
X.	Kal.	Obiit Soror Armelina.
		Obiit Frater David.
IX.	Kal.	Obiit Domina Richelda de Gambara.
		Ob. Perlafrancus Præpofitus Sancti Luzæ.
VIII.	Kal.	Obiit Soror Richelda.
		Obiit Soror Auudina.
III.	Kal.	Obiit Soror Mafea.

DECEMBER.

	Kalendas	Obiit Soror Grafcenda.
IIII.	Nonas	Obiit Fr. Bonetus de Yffeo.
VIII.	Idus	Obiit Fr. Paulus.
VII.	Idus	Obiit Fr. Ventura fub MCCXXXVIII.
VI.	Idus	Obiit Soror Donanova.

V.	Idus	Obiit Soror Sophya.
		Obiit Soror Richilda de Gambara.
II.	Idus	Obiit Juliana Soror.
XVIII.	Kal. Januarii.	Obiit Soror Criſtina.
XV.	Kal.	Obiit Soror Mafea.
XIIII.	Kal.	Obiit Frater Jacobus de Preſteno ſub MCCXXVIII.
XIII.	Kal.	Sub MCCC. Obiit Soror Julia de Baxano.
XII.	Kal.	Obiit Fr. Raynaldus.
		Obiit Fr. Girardus de Savallo ſub milleſimo CCLXVI.
VIII.	Kal.	Obiit Soror Bona.
V.	Kal.	Obiit Fr. Albertus Filius Fratris Albrici.
		Obiit Soror Berta de Gambara MCCLXXX.
IIII.	Kal.	Obiit Soror Orielda de Pallazo.
III.	Kal.	Obiit Soror Caracoſa.
		Obiit Frater Juſtacus.



AD-

ADDENDA VOL. I., ET II.

VOl. I. pag. 130. Andream Vicecomitem Generalem Humiliatorum Magistrum Azzonis Vicecomitis filium fuisse, Imhofii tabulis innixi, statuimus. Imhofii vero sententia novo monumento comprobatur, quod in Eustorgiano hujus urbis Cænobio servatum nobiscum communicavit doctissimus, ac sæpe cum Laude commemoratus P. Josephus Allegrantia ejusdem Cænobii Prior. In charta enim an. 1428. 18. Aug. commemoratur Andreas Vicecomes Generalis Humiliatorum Magister, simulque *spectabilis vir Dominus Guidettus Porte Romane Par. S. Joannis Itolani, ambo filii spectabilis militis Domini Azonis Vicecomitis.*

Vol. I. pag. 388. Ad Canturienses Humiliatorum domos illustrandas eruditissimam ad nos Epistolam transmisit hoc ipso loco a nobis jam laudatus Canturiensis Canonicus D. Carolus Barnabas Carcanus, quam proinde grati animi caussa hic edendam censuimus.

P. HIERONYMO TIRABOSCHIO S. J.

Carolus Barnabas Carcanus S. P. D.

DIssertationes tuas, Vir Cl., de veteribus Humiliatorum monumentis maxima cum voluptate perlegi, styli venustate, eloquiique nitore summopere delectatus. Sed ubi ad id loci perveni ubi de Canturiensibus Humiliatorum domibus agis (Dis. VII. P. I. num. LIV. LV.) cupidissimus ego sperabam alteras, novasque tibi eluxisse chartas. Nova itaque diligentia utendum duxi, & cum primum per valetudinem, & tempus licuit tabularii tum domestici, tum Canonicalis Collegii nostri pulverem excussi, nec irrito labore; nonnulla enim documenta reperi, quæ lucubrationibus tuis novam lucem possent adferre. Hoc unum doleo, quod sero nimis, & eruditissimo Opere tuo jam absoluto, typisque vulgato hæc rescierim. Ut ut tamen res se habeat, ea ad te transmit-

tenda putavi , ut ingenio saltem tuo antiquitatis amantissimo inservirem . Hæc in compendium habent chartæ , quas licet inutiles humaniter excipe .

1429. 13. *Novembris*. Fr. Jacobinus de Bernadigio Prelatus seu Prepositus Domus & Ecclesie S. Georgij (*hæc extra portam Campi rotundi*) investivit de edificiis, & Perticis 24. circa in suburbijs Canturij ubi dicitur in Planella, cui coheret circumquaque strata (*hic, ut infra probatur* , Domus de Planella de foris , *cui anno* 1256. *præerat Minister Fr. Jacobus Mignora , ibique certo Ædes S. Mariæ Magdalenæ sacra , atque impræsentiarum dicitur* la Maddalena). Item de Petia terre vinee & sylve ubi dicitur ad Archonum Pert. 36. cui coher. Dñe Humiliate de la nuce (*mediante scilicet Prædiolo , de quo Humiliati Domus* de Planella de intus *venditionem fecerant anno* 1252. in dominam Begeparem de Beroldis sororem, & ministram domus Humiliatarum de la nuce de Planella). *Rog*. Marcholus de Fossato.

1436. 2. *Septembris*. *Idem* Iacobus de Bernadigio Inconimus domus Ecclesie S. Georgij investivit de suprascriptis sedimine, & clauso in burgo Planelle Canturij foris Pert. 28. circa, cui coher. ab omnibus partibus strata = Item de Prediolo in Archono Pert. 36. cui coher. Ecclesia S. Caterine de Canturio. *S. ergo Catharinæ sacram certo hic , & infra novimus Domum , & Ædem* Dominarum Humiliatarum de la nuce. *Rog*. Petrus de Marudo.

1445. 11. *Augusti*. Ven. Dominus Fr. Paulus de Castoldis Prepositus domus S. Georgij Investivit de suprascriptis sedimine cum clavxo P. 28. circha jacent. in porta Planella foris ubi dicitur ad Magdalenam, cui coher. undique strata (*Domus ergo de Planella de foris D. Mariæ Magdalenæ sacra ex his specifice liquet*). Item de suprascripta petia vinee & sylve ad Archonum, cui coher. domus sante haterine de canturio. *Rog*. Luchas de Toxellis.

1454. 22. *Octobris*. *Idem* Prepositus de Castoldis Investivit de sedimine uno cum clauso uno vidato Pert. 6. vel circha jacent.

cent. in contrata de Planella intus, cui coher. FF. S. Francisci, & Terragium comunis Canturij (*Hic Domus*, *&* *Ædes S. Stephano sacra ut ex infrascriptis tabulis* 1506. *&* 1523.) Item de Pert. 36. in Archono, cui coheret Monasterij Domine S. Caterine de Canturio. = Actum Canturij in Ecclesia S. Steffani syta in contrata de Planella intus. = Interfuit ibi Testis Dominus Frater gaspar de rociis, prepoxitus ecclexie sante Caterine de lugano ordinis humiliatorum. *Rog.* Johannes de Alzate.

1506. 3. *Septembris*. Venerabilis Dominus Fr. Bernardinus de Bechaliis Prepoxitus Domus seu Monasterij S. Georgii Canturij Ordinis Humiliatorum Investivit Cristoforum de Scanzijs de cassis quatuor domorum cum suis superioribus supra orto, porticu &c. jacent in sedimine uno sito in contrata de pianella dicti Burgi Canturij ubi dicitur in domibus S. Stefani, cui toti sedimini coher. a duabus partibus strata, ab alia dicta domus, ab alia Conventus Sancti Francisci de Canturio. *Rog.* Io. Franciscus de Brugnolis.

1523. 1. *Junii*. Suprascriptus Dominus Fr. Bernardus de Bechalijs Prepositus Ecclesie S. Georgij &c. Fecit cambium cum RR. DD. Fratribus Monasterij S. Francisci Burgi Canturij Ordinis Minorum (*ut vocant Conventualium*) in quo cambio, & permutatione pref. D. Prepositus dedit pref. DD. Guardiano, & Fratribus S. Francisci omnia sedimina, horios, & clausa simul se tenentia poxita in Canturio suprascripto prope Portam Planella spectantia pref. Preposture, & in quibus constructa est Ecclesia S. Stephani. Item spatium unum terre existens inter suprascripta bona & muraliam Canturij prope dictam Portam Planelle sub pacto quod dicti FF. S. Francisci teneantur in perpetuum celebrari facere in dicta Ecclesia S. Stephani Missam unam in die Nativitatis D. N. J. C. cujuslibet anni; unam aliam Missam in die festo Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. cujuslibet anni; & in die festo S. Stephani Missas duas, & Missam unam cantatam

tam alta voce in dicta Ecclesia S. Stephani suprascripti. *Rog.* Martinus de Alzate.

Ex hisce tabulis habes, Vir. Cl., Humiliatos Domus de Planella de foris *incoluisse Ædem* S. Mariæ Magdalenæ *sacram; atque Humiliatos* de Planella de intus *insedisse* Domos S. Stephani; *easque cessisse PP. S. Francisci, qui dirutis ædibus, atque sacello, solum intra septa proprii Monasterii concluserunt, atque Sacrorum onera ad antiquissimam suam Ecclesiam transtulerunt.*

Ex antiquissima Charta 1256. *altera dicitur Domus de Planella de* intus, *altera* de foris. *Fortasse Canturij Oppidum ad illa tempora jam erat fossa, valloque circumdatum (Novocomensium enim per illa sæcula non raræ in Canturiensem agrum incursiones, & bella) quod sequenti sæculo, anno scilicet* 1327. *ex patrio Donati Bossii Chronico* muro cingitur.

Humiliatarum Domus de la nuce *ædem, ex suprascriptis tabulis*, S. Catharinæ sacram *habebat, sitaque erat paulo intus Portam Planellæ, & media publica via e regione Domus Humiliatorum* S. Stephani *de Planella de intus. Hæ nostræ Canturienses Humiliatæ S. Catharinæ anno* 1474. 18. *Augusti Mediolanum translatæ fuerunt cum juribus suis, atque unitæ Monasterio pariter antiquitus S. Catharinæ, nunc S. Erasmi in Vico, vulgo* Borgo Nuovo, *ut ex actis ejusdem translationis antiquæ consignatis in pergamena charta existente in tabulario ejusdemmet Asceterii S. Erasmi. Humiliatarum nostri Monasterii, sive Ecclesiæ Bona leguntur in Prædiali censu anno* 1560. *coacto* = Misura generale del Comune di Cantù = La Gexia di S. Catharina Pert. 104. ec. = *Hæc ipsissima Bona vendita fuere anno* 1602. 19. *Decembris per chartam traditam a Jacobo Antonio Cerruti Archiepiscopalis Curiæ nostræ Notario a prædictis Sanctimonialibus Humiliatis Sancti Erasmi nuncupati Sancti Novi, Sanctimonialibus Augustinianis Asceterii S. Ambrosii hujus Oppidi pretio L.* 16550.. *Inter hæc Bona recensentur antiquissimum* prædiolum de Archono *a laudata Ministra de Beroldis emptum anno* 1252., & Domus sit. paulo intus Portam Pla-

Planellæ *cum clauso, cui cohæret a duabus partibus strata &c.*

A Monasterio S. Ambrosii vendita Domus, primum ad Familiam Mazzolam, tum ad nobilem gentem de Oldradis, ab his ad Josephum Ronzonum pervenit ab annis 1709. 1718. *Ronzonus in antiquo adeo (ubi etiamnum fenestrella rosæ licet semi obturata inspicitur) torcular ædificans sceletum effodit ferrea catenula cinctum plurima inter cadaverum ossa; parietesque ætate nostra restaurans, vetera arenati tectoria priscis Humiliatorum imaginibus picta partim destruxit, partim obduxit.*

Ex hisce, quæ de Humiliatorum, atque Humiliatarum Domibus per me licuit invenire, pauca habes quæ septimæ dissertationi addas, minima, quæ emendes. Quæ tarde occurrerunt, non tardo obsequio ad te do, humanissime Tiraboschi. Qualiacunque sint, ea vel intempestiva tibi grata fore spero. Optime vale cum ornatissimo P. Ferrario.

Canturii XIX. kal. Septembr. MDCCLXVII.

Vol. II. pag. 22. Ad Rondenariensem Humiliatorum domum alia eorumdem Humiliatorum domus, & Ecclesia pertinebat in pago quodam sita, cui nomen *Roncomartano* in Valle Bissaria. Pagi, & vallis hujusce nomen, ac posituram frustra investigare aggressus sum: videtur tamen ad Novocomensem provinciam pertinuisse. Porro in literis Innocentii III. ad primi Ordinis Præpositos, quas Vol. II. pag. 139. protulimus, nominari videmus *Ecclesiam, sedimina, & possessiones alias in Ronchamartano, & in Valle Bissaria . . . . quæ omnes ad domum de Rondenario pertinere noscuntur.* Sed quid juris in Ecclesiam hanc Rondenariensibus Humiliatis esset, quæque illius fuisset origo, clarius ex monumento colligimus, quod in Rondenariensi tabulario servatur; quodque hic opportunis annotationibus illustratum subjicimus.

In nomine Christi anno a nativitate ejus Millesimo ducentesimo trigesimosexto die martis quartodecimo die julii Indictione nona. In claustro ecclesie Sancti Eustorgij Mediolani presentibus fratre Matheo de bononia, & fratre Eugenio, & fratre alberto de Medda de ordine fra-

fratrum predicatorum testibus. Frater stephanus prior provincialis fratrum predicatorum lombardie & visitator Domini pape (1) super locis exemptis & super ordine humiliatorum Iniuncxit presbitero giroldo de rondanario amministrationem & prelationem domus sancte marie de roncho marthano de valbixaria in remissionem peccatorum eorum . . . . mus data fuerat per quondam Martinum de inzago, conversum & ministrum ecclesie de valbixera una cum iohanne fratre suo & converso illius ecclesie, fratri iacobo qui dicitur ruscha (2), & michaeli ad partem omnium virorum & mulierum qui & que sunt & erant in congregatione, & fraternitate de rondanario. Et quia Domina berena de pirovano, & Domina prudentia, & Domina riccha . . . . sorores ipsius domus de valbixera elegerant predictum presbiterum giroldum in pastorem & rectorem & prepositum suum, & totius congregationis & domus de valbixera (3) sicut apparet per publicum instrumentum factum sub incarnatione millexìmo ducentexìmo tricexìmo sexto die lune quinto die madji Indictione nona per mamfredum filium quondam ser Iohannis . . . . Et etiam apparet publicum instrumentum sicut predicta domus de valbixera data fuerat per ipsum quondam martium de inzago una cum prefato iohanne fratre suo & converso illius ecclesie fratri iacobo rusche & michaeli ad partem omnium virorum & mulierum qui & que sunt, & erant in congregatione & fraternitate de rondanario. Quod instrumentum factum fuit

(1) Vol. II. pag. 167. Gregorii IX. literas protulimus, quibus Religiosorum cœtuum, & Humiliatorum etiam emendationem nonnullis ex Ord. Prædicatorum demandavit. In his Stephanus hic recensendus, qui in hoc monumento commemoratur.

(2) Jacobus hic Rusca, qui ut ex iis, quæ mox sequuntur, satis patet, Rondenariensi Domui jam ab an. 1189. præerat, idem forte est, ac Jacobus ille Rondenariensis Præpositus, quem Romam ad Innocentium III. profectum diximus, ut sui Ordinis leges ab Apostolica Sede confirmandas curaret.

(3) Quibus legibus Sodalitas hæc Roncomarrani viveret, non satis constat, sed probabile est tertio Humiliatorum Ordini viros æque, ac mulieres adscriptos fuisse.

it per martinum de canturio iudicem sub incar. millesimo centesimo octuagesimonono secundo die iunii indictione septima. Et iniuncxit fratri ambrosio de vicomercato & fratri lazarino de medda ut ipsi sint sub obedientia prefati presbiteri giroldi in eodem loco in remissionem peccatorum eorum usque ad voluntatem suprascripti prioris provincialis. Et mandat sororibus antedictis ex officio sue visitationis ut illi presbitero giroldo obediant in omnibus secundum deum & regulam ipsius domus.

Ego albertus zanonus filius iohannis zanoni de civitate mediolani de contrata sancte marie ad circullum notarius interfui & voluntate & jussu suprascripti prioris provincialis scripsi.

Vol. II. pag. 109. Qui plura nobis ad Bononienses Humiliatorum domos illustrandas jam suppeditaverat Cl. Cajetanus Montius, idem alia ad easdem pertinentia monumenta humanissime ad nos transmisit. Ex his vero colligimus SS. Philippi, & Jacobi *de Burgo Lamarum* domum fuisse, ex antiquo Humiliatorum more, viris mulieribusque communem; quin etiam majorem ibi fuisse mulierum quam virorum numerum. Ita enim in Actis Rolandi Bualini XV. Dec. MCCLXXVI. *D. Fr. Jacobus Prior Ecclesie SS. Jacobi & Philippi de Ordine Umiliatorum de burgo Lamarum; D. Fr. Bernardus; D. Fr. Nicholinus ejusdem Ordinis. Dña Sor. Richaldona Priora dicte ecclesie. Sor. Helena. Sor. Petra. Sor. Margarita. Sor. Costanza. Sor. Benvenuta. Sor. Azolina & Sor. Gulielma omnes sorores dicti Conventus.* Illud vero præsertim animadvertendum, Domum hanc Bononiensem Brixiensi Domui S. Paulli de Pontevico obnoxiam fuisse. Sic enim in Actis Burnii de Curizano XII. Sept. MCCLXXV. *Fr. Jacobus Sindicus Fratris Martini Prioris Rectoris* (alias porro animadvertimus Rectoris & Prioris nomine illos appellatos, qui domibus iis præerant, quæ alteri cuiquam domui obnoxiæ essent) *SS. Philippi & Jacobi Ord. Fratrum Umiliatorum de Burgo Lamarum. D. Fr. Gabriel de Pontevico Prelatus domus Fratrum Ecclesie S. Pauli Umiliatorum de Pontevico*

Civit. Brixie promittunt solvere Dño Lambertino qu. Guidonis Lambertini hinc ad sex menses lib. 250. *bonon. causa laborandi in arte Lane*. Quin etiam duobus post annis, quæcumque ad domum illam pertinebant, a Prælato domus de Pontevico vendita fuere. Ita enim in Actis Obizi Ganzoni: *MCCLXXVII. 12. exeunti Octobri Fr. Johannes de S. Nazario de Ordine Fratrum Umiliatorum Sindicus & Procurator Nuncius specialis Prelati Capituli Conventus domus Fratrum Umiliatorum de Pontevigo Brixiensis Diecesis vendidit Dño Lambertino de Lambertinis omnes possessiones, quas predicta domus habet & possidet, absque Ecclesia & Cemeterio Ecclesie SS. Philippi & Jacobi pro pretio lib.* 275. *bonon.* Ecclesia autem ipsa, ut jam diximus, circa sæculi XIV. initia nullo modo ad Humiliatos pertinebat. Domus vero S. Jacobi de Savina, quam ut diximus, diu Humiliati incoluerunt, decursu temporis SS. Jacobi & Philippi appellari cæpit; ac Bononiensis Civitatis nomine jam ab an. MCCCXLVII. pecuniæ summa quædam Humiliatis erogabatur, ut SS. Apostolorum Philippi & Jacobi festum Cal. Maji celebraretur. Exstat in Actis Petri Merlini monumentum an. MCCXCIII. 3. Martii, quo Lancellottus Gozzadinus, & Nicolaus Soldaderius arbitri eliguntur a *Syndico* Humiliatorum S. Jacobi de Savina, & a *Syndico Artis Lane gentilis, de lite quam moverant ipsis Fratribus & eorum Laboratoribus Rector & Castaldiones & Universitas Artis Lane gentilis Civ. Bononiensis, pro eo quod dicti Fratres dictam artem exercent, & ipsorum Statutis & Communi Bononie super hoc editis parere nolunt &c.; & si predicti non concordaverint, nunc pro tunc assumunt in tertium D. Dinum de Muxello*, celeberrimum illius ætatis Jurisconsultum.

Vol. II. pag. 111. Bononiensium Humiliatorum tertii Ordinis mentio occurrit etiam in Actis Jeremiæ Angelelli 3. Nov. MCCLXX. *Sor. Bonfante de tertio Ordine Umiliatorum S. Bernardi Uxor Fr. Jacobi de dicto Ordine &c.*

Vol. II. pag. 193. *not.* 6. *Fratres de Sacco* iidem erant, ac

Dei-

Deiparæ Servi; quod ex monumento an. MCCCLXX. 19. Jul. in tabulario S. Euſtorgii collegit alias laudatus Cl. P. Allegrantia; ibi enim Bonolus filius Ardigani de Raude certam pecuniæ ſummam legat *Deiparæ Servis* ad Portam Orientalem Mediolani, eoſque *Fratres de Sacco* appellari ait.

Vol. II. pag. 239. *not.* 8. S. Fidei hoſpitalem domum apud S. Euſtorgii eamdem fuiſſe cum S. Barnabæ hoſpitali pariter domo cum Cl. Julinio conjecimus. Sed duplicem diſtinctamque fuiſſe, ex monumentis Cænobii S. Euſtorgii a ſuperius memorato P. Allegrantia inſpectis conſtat. Etenim S. Barnabæ Xenodochium, ut P. Bugatus in MS. Euſtorgiano Chronico pag. 4. &c. teſtatur, an. MLXVIII. conſtructum, tum in Ænobarbi excidio dirutum, ac deinde inſtauratum, tandem in ipſo Euſtorgiano Cænobio incluſum, ac in ejuſdem Cænobii uſus paullatim converſum fuit. At vero S. Fidei Xenodochium extra Cænobium ipſum poſitum erat Septentrionem verſus, nec umquam Cænobio ipſi additum fuit.

Vol. II. pag. 337. *&c.* Eccleſie Funenſ. *lege:* Eccleſie Iunenſ.
ibid. de Arcenia, *lege:* de Artenia.



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ tribus hisce Voluminibus continentur.

A

Agrel-

Aquen-

Ate-

B

S. Eva-

Besa-

de

de

Clau-

Con-

B. CU-

FON-

ter-

S. Geor- 2

ab

I

In-

JU-

L

de

M

S. Ma-

MA-

de

de

Mon-

N

O

Per-

de

de

Lu-

Ro-

S

Præ-

T

TAS-

Tren-

WIL-

F I N I S.

JOSEPH MARTORINUS

SOCIETATIS JESU


In Provincia Mediolanensi Præpositus Provincialis.

CUm Librum, cui titulus est: *Vetera Humiliatorum Monumenta. Vol. III.*: a P. Hieronymo Tiraboschio Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis a R. P. Nostro Laurentio Ricci Præposito Generali communicatâ, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas, dedimus &c.

Mediolani die 2. Augusti 1768.

Loco ✠ Sigilli.

0052 65145


CB